6
41-b
15

L. 5.
44

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
33 A
42

otheca
l. Rom.
Jesu

23-2-'16

23

P. Aleſs.o Lomelli.o

6.41 – P – 1/

6-41-6-10

PETRI ADRIANI
VANDENBROECKE BELGÆ
A TENARAMONDA
EPISTOLARVM LIBRI TRES

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISS. ET CLARISS. VIRO

FRANCISCO REDIO

PATRICIO ARETINO

DICATI.

OPVS POSTHVMVM

EDITORE

LAVRENTIO ADRIANIO.

LVCÆ,
Apud Hyacinthum Pacium. MDCLXXXIV.

De Superiorum Conſenſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISS. ET CLARISS. VIRO

FRANCISCO REDIO PATRICIO ARETINO S.P.D.

Laurentius Adrianius.

MEmini, cùm aliquandò tecum familiariter colloquerer, REDI ILLVSTRISS. ac fortè incidiſſet de amicitia ſermo, eam te ſapienter dixiſſe huiuſmodi honeſtandam nomine, quæ ſublato è vivis amico, maneret tamen, nec ipſa fati neceſsitate diſſoluta extinguereretur; colendam, ſcilicet illius quem amavimus, memoriam perpetuò, eiuſdem gloriæ fauendum, conſulendũque; omnia denique officia exhibenda vita functo, quæ præterire nefas cen-

ſuiſsemus, ſi vivens ijs affici noſtra opera potuiſset; hoc eſſe veri amoris, ac ſinceræ beneuolentiæ luculentum teſtimonium. Re planè comprobas, quod aſſeris oratione, Redi Illuſtriſs. Non enim ex illorum es numero, quorum ſpecioſis dictis minus facta conſentiunt. Dilexiſti Vandembroecchium degentem in terris, præclarè de illius virtute exiſtimaſti, fulſiſti patrocinio, ornaſti beneficijs; eamdem poſt amici cineres voluntatem ſeruas, promoues quod ad ipſius laudem pertinet, ac licèt alto in loco conſtitutam ob ſublimem in re poetica præſtantiam, proferri cupis, vulgatiſq; cæteris fœliciſſimi ingenij monumentis, amplificari. Itaq; cùm ſcires non exiguum eius Epiſtolarum aceruum apud me cuſtodiri, author fuiſti promerem, nec ingratè ſinerem luce digniſſimas diutius in tenebris deliteſcere. Incitaſti verbis, vt parerem, impuliſti liberalitate. Et huiuſmodi quidē pietatis, ſtudiique in viros doctri-

na

na inſignes, non exiguum fructum refers, Nam quamuis diſcria quędam cum mirifico delectu verborum Ethruſcè ſcribendi ſuavitas, quam ipſæ nec æquarent Musæ, ſi Thuſco ſermone loqui vellent, quamuis Tyrrhenæ item poeſis, ſivè lyram tangas, ſivè in Epos aſſurgas, nitor, venuſtas, gravis elegātia, ac pręſertim nobiliſſimæ lucubrationes tuæ, quibus Philoſophiā illuſtraſti, rebus obſcuriſſimis, abditiſq; in ſummum ſplendorem vindicatis, nomini tuo ſingulare decus circumfuderunt, nec aliorum eges commendatione, tamen illa literatorum hominum in tua bonitate, & favore erga bonarum artium amatores celebrando conſentiens alacritas, tuarumq; laudum ab ijs usurpata ſuis in ſcriptis commemoratio multum addit ornamenti, conſpiratq; ad aſserendā tuæ gloriæ immortalitatem. Fallitur, ſi quis arbitratur, aut ingentem opum vim, aut celſarum dignitatum fulgorem manſurum decus

cus homini conciliare; Lubrica ſunt hæc, tantùmq; abeſt ut poſt fata proſint; ut ſæpè viventem in medio curſu deſerant, ſuamq; inconſtantiam inexpectata fuga declarent. Tibi, Redi Illuſtriſs. cùm abunde ſit divitiarum; cùm honores tua in domo cumulati; cùm gratia Principum floreas, non hic ſtatuiſti tuo decori modum, ſed virtute, laboribus eruditis, beneficentia, humanitate, fide, ac probitate ſingulari, in quibus nihil poteſt ſibi fortuna vindicare, ad famæ graſsaris immortalitatem. Plura ſcriberem, ſed neque laudes tuas epiſtolij capiunt anguſtiæ, & renuit modeſtia tua, tùm verò cũ neminem lateant, ferè piaculum eſt deteri ingenioli mei culpa, ſtyliq; deprimi frigore, ac languore. Supereſt rogem, quando vivens Vandenbroeckius hoc Epiſtolarũ volumen tibi deſtinarat inſcribendum [id enim mihi Vir integerrimus communicarat] idem ab eius diſcipulo memoriam optimi Ma-

gi-

giſtri ſanctiſsimè colentis læta fronte accipias, lubenſq; ſinas extare teſtimonium mei erga te cultus, voluntatis, ac benevolentiæ nunquam interituræ. Vale.

Piſis pridie Non. Sext. 1684.

PETRO ADRIANO VANDENBROECKE VIRO CLARISSIMO,

Cûm eidem ACADEMIA PISANA vulgo DISVNITORVM parentaret,

Perorante Viro Præſtantiſſimo FEDERICO NOMIO.

EPICEDIVM.

DVm tibi ſolemnem mæſti perſoluit honorẽ
Funeris, & grato victuras carmine laudes
Proſequitur Vatum cætus, dum Nomius alto
Eloquii te diuinis Heroibus æquat;
Ipſenè præteream tacito tua funera luctu,
Nec ſaltẽ incomptis numeris, heu. Vulnus acerbũ
Conquerar, & ſæui tradam argumenta doloris?
Ingemui largo perfuſus flumine vultum,
Cùm lapſos oculos adſtans, atque ora tuerer
Lãguida, cũ Lacheſim inſtantẽ, & certamine lõgo
Luctantem animam feſſo de corpore ſolui;
Has etiam cape nunc lacrimas, Adriane, recẽtes,
Quas tumulo inferimus, miſeranda ac dona querelæ.

Tene igitur diri rapuit violentia fati?
Nec Muſæ comites, neque carminis author Apollo
Auertere manus auidas? heu nulla canendi
Vis diuina valet ſæuas mulcere ſorores;
Falſum eſt, vocali fretum teſtudine Vatem

Iſma-

Iſmarium thara potuiſſe arceſſere Manes
Coniugis, & neruis victum Plutona canoris.
Si cantu fatum ſtaret, ſi dura referri
Iura darẽt Superi, haud vnquam exitiabile telũ
Torſiſſet Libitina; modis ſtupefacta ſuperbis
Heſiſſet niſu in medio, nec pallida lecto
Vidiſſem heu gelido condi tua membra ſepulcro.
Ergo immota graui languentem ſuſtulit illũ,
Exuit ac dulci crudelis lumine vitæ.
Arnus at abiecta nudauit arundine crines
Cupreſſumq; dedit capiti circum, & ſua deflens
Damna miſer triſti deuoluit murmure lymphas;
Audita querulis impleſſe vlulatibus auras
Alphæis Nymphæ ripis, ac fluminis alueo
Aſſueta, quis enim monimenta illuſtria rerum
Æterno deinceps cantu protendat in æuum?
Ingentes etiam Floræ dolor attigit arces,
Hic Vatis celebratus honos, hic flebile carmen
Manibus inferiæ allata; quin maximus ora
Regnator Thuſcæ COSMVS, quo iuſtior alter
Nec maior pietate, viri miſerabile fatum
Indoluit, magnum verbis teſtatus amorem.
Namq; olli in rectũ mens prona, & neſcia culpæ
Pectora, moreſquè innocui, non fingere vultum
Subdolus, occultas potuit neque nectere fraudes;
Longè animis tam fœda lues, candore pruinas
Arctoaſquè niues vicit, quod corde gerebat
Clauſum imo, tantum puro defluxit ab ore.
Quid memorem quãto in Superos flagrauerit æſtu?
Vt pius Heroum laudes, quos inclyta cœlo
Addiderat virtus, diuino carmine Vates
Extulerit? celſo inde Patri acceptiſſimus olim

Chi-

Chiſiadi retulit ſacrato munus in auro
Ter magni effigiem Regis, multiquè Senatus
Romulei Proceres ſtudijs fouere merentem.
Quis credati tamen heu caſus expertus acerbos,
Liuorem tulit infeſtum, conuicia linguæ
Mendacis, diræ inſidiæ, fraudeſquè paratæ
In caput immeritum; trepido nec pectore ceſſit
Ille malis, viſuſuè feræ ſuccumbere ſorti;
Sed veluti rupes latrantes excipit vndas
Inconcuſſa, minas retudit, vicitque furentem
Inuidiam, tectus præſenti Numine Diuùm.
Nunc verò tantis vitæ defunctæ periclis
O nuper noſtri lux ò pulcherrima ſæcli,
Belgarumque, Adriane, decus, quæ debita merces
Virtuti, ſanctis quæ ducto in moribus æuo,
Securus tempeſtatum, tumidaque procellæ
In placida tandem cœli ſtatione quieſcis.
Concilio hic Superùm gaudes, hic ora Tonantis
Aſpicis, ac dia plenam dulcedine mentem
Vſquè nouæ ſubeunt ingentia dona voluptæ.
In terris (ſi Cœlicolas ea gloria tangit)
Nec ſubeunt prorſus noſtrarum obliuia rerum,
Hic quoquè nobilium referes haud parua laborũ
Præmia; nam quamuis rapidis anfractibus anni
Dilabi properent, quamuis voret omnia tempus,
Aonio donec Pindo, Muſiſquè Latinis
Stabit honos, viues hominum immortalis in ore,
Poſteraque egregium nomen mirabitur ætas.

Laurentius Adrianius Ciuis Lucēſis Belga
Seminarij Piſani Rector.

Errata, ſic corrige

pag. 6	vbi confidimus	vti confidimus
pag. 11	quæ apud me	Quem apud me
pag. 12	vtrumq;probari	vtcumq;
pag. 13	queſo	quæſo
pag. 16	percelluit	perculit
	effectui	affectui
pag. 43	v cęlo	vt cęlo
pag. 46	dictione	ditione
pag. 50	ni ſumme	ne ſummæ
pag. 56	poſitam	poſitum
pag. 65	abſecutus	obſecutus
pag. 66	Appolline	Apolline
pag. 73	Cæteræq;	cæteraq;
pag. 125	promiſſiq;	promiſiq;
pag. 131	detegerentur	detergerent
pag. 135	vidēdi Antiſtes	Antiſtites
pag. 136	omnes	annos
pag. 219	miſto	mixto
pag. 234	voe	voce
pag. 250	videbis	videris
pag. 276	è decem	à decem
pag. 278	Duos cęlites	Diuos
pag. 333	imeum	meum
pag. 350	periſiſſimo	peritiſſimo
pag. 356	miſta	mixta
pag. 369	repſa	re ipſa
pag. 371	multo,	multos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAROLO DATI V.C. Patritio Florentino.

Florentiam.

IGNOSCAT ſuo alumno Patria, nolim amplius Belga eſſe; ita me tui rapuit inaffectata Venus libelli; non Italis modò, ſed aduenis quoq; tranſalpinis ſe priſca ſuauitas ſcribēdi inſinuat. Nō deſinā gratias habere maximas Chimentellio, Grecæ, Romanæq; eruditionis elegantiſſimo vindici, qui me tali poſt venerandi officia munuſculo dimiſit. Munuſculum dico vt moles libri eſt, theſaurum ſi vis, ac ipſa feſtiuitas dicendi ſpectetur. In ſuperiora ſęcula, quæ thuſca ingenuitas ſtyli commendauit poſteris, me eadem dulcedine vocum reducit. Nuda vbique, & amabilis elegantia apparet gratijs ſimillima, quia nuda à cultu tantoperè à recentibus quæſito. Suam Hetruriæ linguam pulſa barbarie vindicaſti non tumida, non immani confuſione verborum, ſed leni, ſed natiua fælicitate characteris, qua ſibi illæ animæ ingentes Petrarchæ, Boccacij immortalitatem peperère. Ego, Vir clariſſime,

 quid

quid rependam? Luſi nuper Thalamos nuptiales, & anatomen humani corporis verſu tentare libuit; hæc quæſo à Belga habe, meque, ſi id placuit, tuo patrocinio complectere, vnáque popularem meum optimę indolis iuuenem, cui anatomen inſcripſi. Vale ad Pylıæ ſenectutis annos.

Piſis quinto Idus Iunij CIↃ IↃCLVII.

VALERIO CHIMENTELLI
Viro Clariſſimo.

QVæ nuper etſi non omnia, clariſſime Chimentelli, legiſti, tui fretus authoritate iudicij publica feci, neque non poſſum humanitatis raræ recordari, cũ tuī in mẽtẽ venit; venit autẽ ſæpiſſimè, qua me hìc, dũ mea tibi venerationis obſequia deferrem, comitate accipere, & qua dimittere ſolebas. Hinc amor in te meus mirificè creuit, & ſi antea te amarem maximè, te colerem, te obſeruarem, & tanquam omnis eruditionis principem admirarer. Nunc quęſo grati ſignificationem animi mea magis in voluntate, quam in hoc tenui poematio agnoſce. Addidi quoque aliqua numeris ſoluta, ſed leuia, & ferè inambulando dictata quę Ædili Camillo Campilia, viro & natalibus, & omni elegantia humanitatis inſigni, obtulimus. Ea ita leges, vt meæ, quę tua humaniſſima indoles eſt, imbecillitati ignoſcas,

ſi.

ſimulque quæ emendari queant inducta litura elidas. Malo enim a te in aliquibus admoneri, quam à cęteris omnibus laudari. Sed nun quid moleſtiſsimi hominis notam ſubibo, qui audeam vix ego notus alios ſubito humanitati tuæ commendandos obtrudere? ignoſce, frons mea, aut indoles neſcit amicorum precibus dura eſſe. Velit hic iuuenis ad eos cooptari, qui ſtipulationes, & ſuprema eloquia morientium ſuo ſcripto firment, vulgus eos homines notarios appellat. hunc obſecro, ad quem eæ res pertinet, magiſtratui commenda. Vale ad Priami ſenectutem, & clientibus tuis Belgam adde.

Piſis octauo Calendas Octobris CIↃ IↃC LVII.

FRANCISCO CECTIO Volaterrano.

OPportunè proficiſcenti amico amicus adueni, ſed tua eruditiſſime Franciſce profectio cùm neque ſinè affecta valetudine eſſet, neque ſinè moleſtiſſimo æſtu, qui ſpatia conficiendi itineris incéderet, mihi quàm plurima metuendi cauſam prębuit. dicam cum priſca Penelope. Res eſt ſolliciti plena timoris amor. Sed nunc omnia vti ſcribis, & ego maximè opto in melius ceſsère. Porro ſuus Æſculapio gallus deeſſe non poteſt; ego aliquid ſimile ſaginan-

dum curabo quod amici, vbi adueneris, inter amiciſſima colloquia epulemur. Nunc id vnum cura, vt tua tibi valetudo conſtet. Debes aliquod Volaterris nomen, debes Piſis, & toti Italiæ; noli ingenio, aut viribus tuis diffidere, & illo, & illis plura potes, quàm tu te poſſe exiſtimas; non ament Belgam Muſę, ſi Belga hic vanus eſt. A Lucenſibus nulli nuntij aut litterę fuerunt. Locus ille adhuc vacat, tu maturè cogitabis. Sed dic, à Seſtio litteras accepiſti? Vt à iuuene Laurentio accepi; queri ille Pater de reſpondendi officio videtur. Si ita eſt aliquid in iſtam moram honeſtè cauſsabere, ſin ſecus, nihil perlatum eſſe ſignificabis. Vale, & Belgam tui amantem Volaterranę ama.

Piſis ſexto idus Octobris 1657.

Clariſſimo Viro
PAVLO IOANNI DE PIERITIIS.

Bononiam.

SVpremas a Rutilio Certaldi accepi. Priores tabellariorum incuria perierunt. Humaniſsimi Præſulis voluntatem ſatis animo amplecti, ipſum pro dignitate ſatis ſuſpicere, aut colere non poſſum, id vnum mihi moleſtiſsimo mærori eſt, quòd non liceat clariſsimo Męcenati litterarum obſequi, præcipuè in ea Vrbe, quę mihi multò gratiſsima ſemper fuit, vbi Traiani Cæſaris

me-

memoria adhuc in portu ſupereſt, vbi ſcopuli, in quibus Ædes Veneri dedicata, vbi olim Imperij Romani cardo extitit, vbi Argo Nauta merui adſcribi, & Paueſij obitum defleui, vbi denique non ſinè læto in omne Adriaticũ pelagus proſpectu pulcherrimo portui ædes veſtrę pulcherrimæ impendent. Velim ex animo Anconæ eſſe, & apud virum, quẽ tota celebrari Italia audio velim cum Paulo Franciſco magni nominis, & clariſsimæ expectationis iuuene inambulare, ac dum grata viciſsitudine loquendi frueremur, ea ab ipſo quæ Bononiæ, quæ Piſauri, quæ Anconæ acciderint, audire, quę mihi Romæ, quæ Lucæ euenerint narrare; Sed ſuus non eſt Belga, Eum Senatus Populique Piſani liberalitas emit, ac ſuauibus beneuolentiæ cathenis vinctum habet. Decimo ſeptimo Calendas Nouembres toto conſentiente Senatu ſtipendia mea in aliud triennium non modò prorogata, ſed aucta quoque ſexaginta annuis ſcutatis fuère, nobiſque de publico cenſu honeſtiſsimè ſubuenitur. Heu neſcis! non ſum amplius ille vegetus, qui firmitudine virium, & inſigni agilitate valebam; nunc aduerſæ valetudinis infælicitatem ſentio, qua viris maximis pro dignitate adeſſe prohiberer. Tu me apud humaniſsimum Præſulem purga, aut, ſi ita viſum eſt, has ipſas litteras mitte; & à me tui obſeruantiſsimo nominis ſalue, & vale.

Piſis tertio idus Decembres 1657.

Eruditiſſimo Iuueni
DOMINICO ANDREONIO SVO
Lucam.

ROgatu Viri clariſsimi Octauij Boldonij ſcribo, quē ſcis Magno Hetruriæ Principi, & Latina, & Greça pręlegere elementa. Apud te Iani Nicij Erythrei libellus eſt Eudemia, aut quid ſimile inſcriptus, hunc illius gratiā mihi quàm ociſsimè trāſmitte. Nunc cauſam accipe. Nuper inter venerandi officia cùm mihi à clariſsimo Viro ſui voluminis præfatio legeretur, in qua ſuſcepto argumento comes ire perſpicuitas videbatur: interrupi ego, quàm verè hæc diſertiſsime Octauj huic ſterili elegantiarum ſæculo aperis! Laudem tibi hæc præſens ætas debet, ſed vbi confidimus vberiorem à tota poſteritate conſequèris, hodie enim paucíſsimis mortalium ſcribitur. audet imperita loquacitas quæ paſsim in ſemilitteratis hominibus viget, omnia inuadere, omnia cenſere, præcipuè vbi barba iam poſito agreſti ſquallore raſa eſt, vbi cultu aliquo veſtiendi prodire, medijſque congreſsibus miſceri contigit. Addidique, heu vbi nunc cum ſuo Andreonius Erythreo eſt? quam ſtolidè quidam aut luſit, aut dixit! O ſi hoc carmen aliquid doctæ obſcuritatis haberet. Hic Octauius animoſo calore accenſus, ſit Belga vidēdi copia; erit inquam, vel ſi nemo adſit, ipſe feret Andreonius, qui te maximè colit, maximèq; admiratur. Nunc mitte, & plica ſit illi

do-

doctæ obſcuritati. Si rem paternam geris, cur neque ego te, neq; portus Labronis videt? iuro herclè quicquid lucan icarum eſt conſumam, niſi amico amicus adueneris. Saminiatio, Laurentioque, ſalutem officiosè nuntia, & libellum mitte. Vale

Piſis pridie idus Decembres 1657.

SERENISSIMO LEOPOLDO
Principi ab Hetruria.

Florentiam.

TImui Sereniſs. Princeps litteris meis, tot ſerijs, quæ à tuo nutu pendent negotijs Regni; interrepere, ſed Auguſtæ Celſitudinis tuæ humanitas, qua te audiendis ſeu votis, ſeu precibus hominum quotidie indulges, effecit vt ſinè metu meas quoque preces audeam in litteris exhibere; præcipuè cùm Tua vnius ope, ac liberali munificentia olim Florentiæ ſim adiutus, nunc hic ad tuenda otia honeſtiſsimo ſtipendio donatus. Piſæ, fide, & cultu obſequentiſsima Ciuitas tua, mea iterum ſolemnibus comitijs ſtipendia, non modò in aliud triennium prorogauit, ſed ea, vt liberali teſtimonio de mea opera, ac diligentia conſtaret, aliquantum auxit. Res à comitiali ſcriba Piſarum clariſsimo Micheloz- zio, vt de more approbaretur, ſcripta fuit; is nunc moram objjcit, cauſaturque hæc acta comitiorum, niſi ea prius cum Celſi-

tudine ſua communicarit, ſuo ſcripto firmari non poſſe. Hinc quàm obſeruantiſsimè poſſum, cum omni, qua te adire decet, ſeu demiſsione animi, ſeu cultu, me clementiſsimę Celſitudini tuæ ſupplicem ſiſto, oroque, vt tuo nutu quæ de me habita comitia fuere, rata habeantur. Deus Optimus Maximus, a quo omnia Imperia, & Regna ſunt, Tibi vitam diutiſsimè incolumem, Tuæque Auguſtæ Domui regnandi æternitatem largiatur. Vale.

Piſis calendas Decembris 1657.

Sereniſsimæ Celſitudini Tuæ

Humillimus, deuinctiſſimuſq; Seruus
Petrus Adrianus Vanden Broecke.

Illuſtriſſimo, ac Ampliſſimo Viro D.D.
FRANCISCO CAPPONI
Cathedralis Florentinæ Præpoſito.

Florentiam.

Quæ hæc humanitas tua? qui mihi ignoto aduenæ, & officiosè ſalutem in epiſtola Tilmanni adſcribis, & munera tui ruris exquiſitiſsima mittis? vt legit Sicamber, ego totus in tam alta indole admiranda defixus erubui; & quamquam te olim tacito amore, & obſeruantiſsimo cultu proſequerer, nunc certè magis ad tanti indicia amoris accendor, palamque incipiam amare, & colere tam benè de immerente Belga

me-

merentem. Mihi quoque vulnus moerendi fallax falcula impegit. heu quæ non ſeries caſuum breue compendium vitæ circumſtat! penè neſcii rapimur in fata, & in mala incidimus, quæ quodammodo euitari humanitùs nequeant. Mœſtiſsimum caſum, vt eram repentino mœrore accenſus, Venuſino exemplo numeris proſcidi; his aut tædia lecťuli, aut incedendi moleſtiam ſolabere, ſique placuit, aut tanti putes (nunc enim Poematia mea olim per Italiam ſparſa recudimus) ſuo loco miſcebimus Elegiјs. Noua ineuntis anni primordia tibi fauſtiſſima auguror, optoque vt hæc tam crebra videas, quàm Neſtor, aut Priamus olim vidit. hæc mei voti, & epiſtolæ finis ſit, non mei in te amoris perpetui. Vale.

Piſis quarto Calendas Ianuarias 1659.

Clariſſimo Viro

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Bartholomæus Beverinius S. P. D.

Piſas

LIteras tuas ad Mediceum, quanto animi ſenſu perlegi, Vir Clariſsime! nec vno aſpectu ſatiatus, reuocaui ſemel atque iterum oculos, ac ſolidâ voluptate mentem impleui. Vt elegantes ſunt! Vt candidę! Vt aurea, lacteaque vena fluentes, placidiſſimi inſtar fluminis, multa riparum amęnitate vtrimque inumbrati. vt etiam, quæ

 tua

tua benignitas eſt amoris, ac beneuolentiæ erga me notis pleniſsimæ! quarum ſi candorem, ac venuſtatem æmulari velim, pudorem, quo commendari plurimum gaudeo, ac frontem periſſe clament omnes. Certabo igitur, quo vno minimè tibi iraſcatis licet, concedo, bene volentia, & affectu, & ingenium amore ſupplebo. Ero igitur, idque teſtatiſsimum habe, quicquod ſum, ſi quid ſum, tibi ſeriò, ſemperque, ac rebus tuis addictiſsimus, nec in affectum meum, aut obliuioni, aut tempori, quicquam licebit. Tu interea vale, ac iter, quo ad veram gloriam famamque procedis, ſequere. tu recta, nos per ambages ad ſemitas erramus, nec magni nominis aliquid niſi vmbra fortaſſe, ſumus. certè ſi manebit aliquid apud poſteros veſtigium nominis mei, æternitati ſcriptorum tuorum acceptũ referam, quibus inſeri, ſi cupere ſignificauero, vereor ne me ambitioſum orbis putet, temerarium ſi ſperarem. nec ſtrui putes gratiæ tuæ inſidias tenui munuſculo, quod ex magni Boldonij manibus accipies; neque enim tale eſt, vt tanta ambitione ſpes tuas donare poſsit, vnius tantùm ferentis commendatione pretioſum. Ego illo amorem tibi, ac ſeruitutem approbabo meam, tu quicquid erit peccatum, natiua magnorum virorum benignitate excuſabis. Vale.

Lucæ pridie nonas Ian. 1659.

MA

MAXIMILIANVS DEZA

Petro Adriano Vanden Broeke S. P. D.

Piſas.

SAlutem mihi non ita pridem tuis verbis noſter Beuerinius dixit, nunc autem oblato etiam munere vltrò me humanitatis officijs prouocaſti. Vtroque tibi nomine gratias ago, habeoque quamplurimas, tum verò qui nihil de te benè meruerim, mereri plurima optauerim, qua coniectura ſtudium hoc meum deprehenderis, ſatis admiror; Niſi fortè hæc quoque diuinare poetarum eſt. in quo quidem hominum genere, quæ apud me locum obtineas vellem æquè facilè ex literis meis perſpicere poſſes, atque ego ex dono tuo quàm me valde ames cognoui. Alios certè noſtri ſæculi Poetas cùm lego, reperio ſæpe quæ probem. in te fermè vno quæ ſuſpiciam inuenio. Equidem Muſas ad veterem illũ frugalemq; cultum reuocaſti, nec ingenio (tam etſi maximo polles) quicquam aut indulges, aut permittis quod non cum ſumma poetici ſtyli maieſtate conſentiat. Nam cætera perſequi nihil attinet, cùm ipſa (licèt veriſſima) tuam ne modeſtiam onerent, multum verear. Sed enim dixiſſe non piget, quando ipſe quidẽ effeciſti, ne te deinceps tacitus amem. Perge itaq; Poetarum optime, perge porrò; aliquid molire quod ſit perpetuò tuum. aſſurge ad magnæ molis, atque operæ argumentum profectò, ſi quid mihi de te credis, ſuſ-

ſecturus, quamquam ſpes longas in alia tẽpora, in præſens vt me (quod cæpiſti) plurimum ames etiam atque etiam rogo. Vale.

Lucæ 1659. pridie Idus Augusti.

Clariſſimo Viro
BARTHOLOMÆO BEVERINIO
è Cong. Matris Dei, omnis Hetruſca, & Latinæ elegantiæ Principi.

Lucam

ETſi aduerſæ valetudinis incommoda libens fero, id tamen moleſtiſſimum habeo, quòd clariſſimis Viris celeritate ſcribendi officioſus eſſe prohibear. Tu humaniſſime ingenuè de ſe fatenti ignoſce; Scit Mediceus noſter maximę ſpei iuuenis quàm ego infeliciſſimæ valetudini obnoxius viuã. Scit hercle, meoque nomine oraui, vt me tibi officioſiſſimè purget, qui iam nimia diuturnitate ſilendi abutor. Vt tuas eleganſiſsimo amore, & ſuauiſsimo affectu plenas legi (videre aſtantes) mihi ingenuo colore vultus erubuit. Non ego talis, ò præſens Italiæ decus Beuerini, qualem venuſtiſsima laude attollis; ſat nobis in cultiſsima parte terrarum aduenis ſapientiſsimis indigenis vtrumque probari, imo hoc nomine famam in toto Septemptrione quærimus. Tuæ tamen humanitati, & iudicio, ſeu potius affectui gratias habeo maximas, habeboque

pe-

perennes. Id tuæ exemplar epiſtolæ cum Erycij Puteani litteris aſſeruo, teneoque in tui erga me amoris, meique erga te gratiſſimi animi perenne monumentum. Colligo nunc omnia, quæ ſparſa olim per Italiã edidi, vt ineunte hyeme (ſi Diuina Clemẽtia fupereſſe concedet) ſimul elegantibus typis edantur. At tuo liceat clariſsimo Beuerini iudicio vti, auderem ne prima Centuria litterarum lucem tentare? Scribe queſo candida libertate; vt cenſebis, fiet, erimuſque aut vulgare, aut premere parati. Interim tibi a Deo Optimo Maximo ſecundam valetudinem cum longa olim, & facili ſenectute publico huius ſęculi, & eruditæ poſteritatis bono auguror. Vale ò lux Hetruriæ, tuique amantem ama Belgam.

Piſis Calendis Octobribus 1659.

Clariſs. Viro, Caltiſſimoq; Oratori
MAXIMILIANO DEZA
E Congregatione Matris Dei.

Lucam.

NOn auſim tam ſeræ reſponſionis officia auſpicari, niſi & tua ignoſcendi facilitas, & mihi ab aduerſa valetudine venia ſperaretur. atque hęc eadem ad nonas Septembres nobili, ac generoſo Iuueni Saminiati ſcripſi, rogauique vt, ne inofficioſus haberer, hoc me tibi præcipuè titulo, claris-

riſsimoque Beuerinio purgandum ſuſciperet. Eadem à nobiliſsimo Iuuene Mediceo audies, qui iam olim infirmæ valetudinis meæ non ſinè mœrore teſtis fuit. Mirari deſine ò maxima eloquentis Hetruriæ ſpes Maximiliane, quòd ego me tibi ſalute officioſa, & exili munuſculo inſinuari optarim; neſcis? Virtus publica cum lęta admiratione vulgatur, cumque popularibus ſuis aduenas quoque in partem colendi, & admirandi rapit; me quoque inter aduenas rapuit, vt tibi aliquanto vicinius innoteſcerem, poſſitque mea, quæ nulla eſt, a tuæ patrocinio famæ commendari. Non audeo quæ de Alphea Panegyri pręconia addis attingere; tamen & amori erga me tuo, & affectui ſanè maximo grates habere maximas nunquam deſinam; tuæ enim placuit eruditæ humanitati lancem ſapientiſsimi iudicij premere vt ego animoſior in alia poematia aſſurgã. quid nunc addo cultiſsime Hetruſcorum? amoris, cultuſque erga te mei perennitatem. Sim Crœſus, ſim Attalus, ſim quicquid optabile vnquam fuit; Tibi ſim omnia. Vale, & Pyliæ ſenectutis ætatem vince.

Piſis pridie Calendas Octobres 1659.

Illu-

Illuſtriſs. ac Ampliſſimo Viro D.
D. FRANCISCO CAPPONI
Cathedralis Florentinæ Præpoſito.

Florentiam.

PErducta eſt aliquando ad calcem qualiſcumque ſit huius impreſsio libelli, quę nunc à tua ſingulari humanitate, tuoque Illuſtriſsime Antiſtes patrocinio primordia lucis auſpicatur. audebitque cum multis exemplaribus in publicam cenſuram Italiæ venire; ſi ſecundo ſuffragio mea meruerit à te tenuitas commendari, cuius vnius iudicium mihi inſtar omnium eſt, tibique ſoli placuiſſe id tanti apud me erit, ac ſi me omnibus placuiſſe ſcirem. Cape igitur qua ſoles amœniſsima fronte a nouello cliente Belga veterem in exili munuſculo amorem, certamque tui obſeruandi, colendiq; æternitatem. Vale, quemque animi dotibus Neſtorem refers, viuendi quoque prolixitate incolumis refer.

Piſis Nonis Maij 1660.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO REDI

Florentiam.

SErius, quàm decuit, tuæ officiociſſimæ quidem, ſed quam nec metui, humi

manitati reſponde o. Cur ita inquis? à ſtupore, quo tua me ingens beneuolentia percelluit, cui nil par, aut æquum potui, aut nunc poſſum reponere. quid enim tibi ſic ſpontè, ſic amanter de homine aduena ſentienti reponam? Scio ego quàm adhuc in limine litterarum hæream, quamque magis coner earum penetralia ſubire, quàm iam ſubijſſe; idque mihi in genuè fatenti crede. animoſa eſt nobis ad præclara aſpirandi voluntas, sed prçter hanc nil ego mihi amplius poſſum, neque mea ſibi modeſtia vindicare. Dicam liberè Clariſsime Redi quç ſentio, tua de me, meiſque lucubrationibus iudicia a leniſsima tua indole, & qui ab ea dimanat amore deriuantur, quem tibi, vt video, grata beneuolentiæ aura, & Eminentiſsimus Princeps Fachenetti, & Pieritius meus accendère. huc quoque cultiſsimi Terentij, noſtrique popularis Tilmanni officia acceſsère. Sed hçc tuo tam prono in me effectui refero accepta, iiſque deinceps ita mihi vtendum cenſebo, vt quaſi nobili ſtimulo excitatus, ea, quæ nedũ merui, ſtudeam meruiſſe. Cætera, vir maxime, inter Hetruriç litteratos, neque vnius Phœbi nomen apud poſteros manſurum, prçter gratias, quas habeo ſummas, & immortales mei erga te (quid enim aliud maius habeo?) amoris perpetuitatem ſpondeo, tibique eam auguror ætatem, quam ſenex Priamus in Aſia vixit. Vale, & à me nouo cliente, & vetere tui nominis cultore ſalue.

Piſis tertio idus Ianuarias 1660.

Clariſſimo, ac Ampliſſimo Viro
D. NICOLAO HEINSIO

Hagam Comitum in Batauos

MVltoties animus fuit Vir ampliſſime, meæ erga te ſingularis obſeruantiæ, veterisq; amoris indicia officio litterarum teſtari; verùm cùm longiſſimè à Patria in ſeptemptrione abeſſes, ibique tua opera publico Statuum nomine Regi Carolo Guſtauo daretur, & reduci quoque à Norica Aula grauiſſima quotidie negotia ſcirem obtigiſſe, nolui inanibus obſequijs ſtyli te à rebus ſerijs auocare. Hæc vnica proroganda ſcriptionis cauſa extitit; nam ſi quis hominum à me maximè coli, amarique poteſt, is tu es diſertiſſime Belgarum Heinſi, cui me primùm Bononiæ, poſt Florentiæ magis innotuiſſe glorior, quod ſciam aliquid mihi inde famæ, ac nominis in Italia acceſſiſſe. Quæ mea recèns emiſi poematia, hæc tibi in binis exemplaribus dono miſi, imo in pignus, & mei monumentum amoris; idque vnum à te magnopere velim, vt ſi aliquid aliquando poſitis curis lecturus es, ſit tui quoque erudita fœlicitas iudicij aut aliquantum ſuſpenſa, aut aliquãtum poſita, nam alioqui integer à tuis manibus reponi nequeo. Neſcio an nimiâ cura in cura imitandæ antiquitatis hæſerim; fateor me totis viribus eò tendere voluiſſe, ſed infælice, vt timeo, ſucceſſu. Tu recta

ad

ad æternitatem via incedis, tua Italia tam diu apud omnem poſteritatem manebit, quamdiu aliquod in Orbe nomen Italiæ erit. Nemo hìc non habet, non legit, non probat. Cætera ſi tibi vtcumque placui, mihi omnibus,qui hodie viuũt eruditis placu ſſe videbor. Iuſſit Chimentellius officioſiſsimã tibi ſuo nomine ſalutẽ adſcribi. Salue à manipulari tuo vnice poſt Danielẽ Dictator litterarum Heinſi, meq; tuiamantem ſeu beneuolente tua indole, ſeu veteris obſeruantiæ meæ memoria, ama;& vale omni celebrata ab antiquis longiſsima ætate diutius.

Piſis Calendis Iunijs 1660.

NICOLAVS HEINSIVS.

Petro Adriano Vanden Broeke V. C.
Publico eloquentiæ profeſſori.

Piſas.

Lepidiſsimum, & oppidò excultum Poematum tuorum libellum ante dies paucos ad me perlatum, Broeki erudite, plurima cum voluptate excepi ac legi. Spirant Muſæ illæ tuæ intimos Parnaſsi receſſus vndique, & germanas ſeſe Phœbi ſorores eſſe vberrimè produnt. Agnoui nomen quoq; meum in hoc Apollinis ſacrario, & ſingularem affectum tuũ ſum exoſculatus.

Tibi

Tibi nempè acceptum refero, quod nomen meum ad poſteros eſt peruenturum. Perge vt cœpiſti veteres tibi imitandos proponere; Sunt enim illi exactæ ſcriptionis magiſtri vnici, & ſinè quorum exemplo ad immortalitatem nemo fęliciter aſſurgat. Valerium Chimentellium virum exactè literatum, & in paucis mihi charum, quod beneuolum, & amicum experiris, lætor. quãquam vir tanto ingenio, tantoque morum candore non poteras non probari tam ingenuo, tamque accurato alienæ virtutis ęſtimatori. Illi igitur, vt meis verbis amãtiſsimè ſalutem dicas, meque vt amare in poſterum tui ſtudioſiſsimum pergas, etiam atque etiam te rogo. Dabam Hagę Comit. MDCLX. a die III. Decemb. Sub vernam tempeſtatē iter Suecicum denuo ex auctoritate publica noſtrorum Procerum mihi erit auſpicandum.

Eminentiſſimo Principi
CÆSARI CARDINALI FACHENETTI
Epiſcopo Spoletino.

Spoletum.

MEos inter alia poematia elegos auſus fui, Princeps, Eminentiſsimo tuo nomini inſcribere, quòd ſcirem ſi quid in hac parte peccaretur, id raræ, & magnanimæ humanitati tuæ imputandum eſſe, quæ non modò

modò litteratos omnes ad ipſius quaſi obliuionem Purpuræ familiariſsimè amet, ſingulari beneuolentia proſequatur, ſibiq; fouendos, ornandoſque ſuſcipiat, ſed eos quoque, qui ſolo conatu bene merendi de litteris commendentur, libens amplectatur. Hàc ego fiducia fretus huius exilitatẽ munuſculi mitto, & in eo nouum veteris meæ obſeruantiæ monumentum. At poſtquam audace ingenuitate cępi apud te confidentius vti, ſine, obſecro, Eminentiſsime Princeps, vt alieno quoque nomine liceat aliquid a tua humaniſsima indole poſtulare. Hic homo religioſus, cui litteras cum exemplari perferendas dedi, Belga eſt, Romam ad limina proficiſcitur; Solent verò eiuſmodi religioſi aduenæ aditu Vrbis arceri, niſi veniendi facultas à Summo Rectore Ordinis accepta videatur, eſtque in Vrbe protector iſtius religioſæ familiæ tranſalpinus, cui ſi pro tua clementia iubebis ſcribi, ſtatim huic homini aditus, Vrbs, & in aliquos dies habitatio in capitolino conuentu patebit. Nunc illi, & mihi Princeps humaniſsime ignoſce, qui ambo modicæ frontis arguemur, egò dum ſcribo, ille dũ me rogauit vt ſcriberem; ſed vel illi ſatis tibi magno lumini Purpuratorum innotuiſſe, & mihi venerationis meæ, & grati animi ſpecimen tibi maximo Mecænati exhibuiſſe. A Deo Optimo Maximo vt te optime Princeps diutiſſimè incolumem ſeruet, & auitis olim honoribus accumulet, opto.

Vale

Vale.

Piſis pridie nonas Iunias 1660.

Eminentiſſimo Principi
CÆSARI CARDINALI FACHENETTI
Epiſcopo Spoletino.

Bononiam.

NEſcio Eminentiſsime Fachenette, Princeps omnium optime, ac integerrime, quibus ego officijs tuæ poſsim prodigioſę humanitati reſpondere, qui pro vetere è clientibus tuis Belga noua nunc onera, eademque maxima ſubire dignatus es; meum ſcilicet tam exile poemat um nulla ſui parte, ſed ſola tua vnius authoritate ferentis pretioſum Sanctitati Alexandri VII. Pontificis Maximi exhibere. Si de cultu, & elegantia habendi gratias cogito, quàm non omnia trita ſunt! tota iſta eruditæ antiquitatis ſupellex infra te eſt, ò Cæſar, ò Lux Romanæ Purpuræ inoccidua. Non igitur ſtylo grates habebo, ſed perenni aſsiduitate clementiſsimum Numen deprecabor, vt in ſpes publicas, & vota mortalium diutiſsimè ſuperſis. Præterea ſi fas eſt aliquid à me addi, Eminentiſsime Mecænas, id vnum à te magnoperè oratùm venio, vt cum omnis fortuna, omniſque (ſi quæ ea eſt) exiſtimatio mea à te cęperit, velis me Beatitudini ſuæ ſeriò commendare. Plura nec au-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

audeo ſcribere, neque a mea poſsum modeſtia extorquere. Vale ad eam, quam ego toto animo opto, & Deus donare poteſt, longiſsimam ætatem.

Piſis decimoſexto Calendas Septembres 1660.

Nobilibus Adoleſcentibus
IOANNI PAVLO GVALANDI,
ET GVILELMO RAV.

Bononiam.

VObis in alpibus Hetruriæ iter ſinè æſtu obtigiſſe mirificè gaudeo, lætorque magis, quod vos eò incolumes veniſſe, & ſumma cum voluptate animi manſuros ſcribitis. Quidni? eo in loco, vbi Cœli clementia præ alijs Vrbibus Italiæ commendatur, vbi nobiliſsimi æquales vnà degunt, vnà cõmunibus epulis veſcuntur, vnà Græca, & Latina humanitate animos imbuunt, & ſimul rei equeſtris ſtudia ſequuntur? vbi quod omnium maximum eſt, clariſſimi nominis Præceptores habetis? Quis hodie neſcit Gonzagam magis nouo ſplendore doctrinæ quàm illo vetere dominatricis familiæ inſignem? non addo alia; vos ipſi maiora videbitis, quàm ego poſsim ſtylo dicere; quapropter penes vos erit indelebilis culpa, ſi vos tam pulchra occaſione acquirendæ virtutis vti piguerit; quod ego in

ani-

animum inducere meum nequeo, cùm de veſtra præclara indole, & ſtudioſa cupiditate ſciendi cogito. Adderem in hanc rem alia, ſi vobis ſponte ad virtutem currentibus ſtimulo opus eſſe viderem, quæ de meis exemplaribus velim ſic accipite. Exemplar ſeligite quod elegante cultu ligandum curetis, idque meo nomine Clariſsimo Gonzagæ dono dare poſsitis. Velim enim veſtra opera huic maximo Viro innoteſcere. alia nouem exemplaria ad Librarios Bononienſes perferenda curate. de pretio vobis abeuntibus, quid fieri poſsit, dixi. Salus vobis officioſiſsima à Conſanguineis, ab Amicis, ab æqualibus nuntiatur. Vos vero Nobiles Adoleſcētes deliciæ Piſarum ſoſpites, vegeti, eruditi in gaudia fœliciſsimi redditus valete.

Piſis nono Calendas Septembres 1660.

Clariſſimo Viro
D. LAVRENTIO NERI

Emporium.

SVperioribus litteris, quas video periiſſe, tuæ in primis humanitati gratias habui, quò d, & prior officiosè ſcribere, & dona ſcriptioni adiungere voluiſti; eas nunc repeto, & ſummas, & maximas habeo, habebitque meo nomine Orſacius. Anagrammata

mata tua ſuperioribus annis vidi, ſummaq; cum voluptate animi multoties legi, meiſque numeris, vtinam tam raro, & nobili inuento dignis, proſequutus fui. Mirabar fœlicisſimo ſucceſſu quaſi diuinitus diuini Principis magnanimam indolem ad omnia maxima natam vbique referri, vbique viuidè exprimi. quæ res hercle multo laborioſior eſt, quàm vulgo creditur, nec ſinè alta iudicij acrimonia pertexenda. Quid dubites de emiſsione publica? Fęliciſsima nouitas argumenti eo vocat non ſinè famæ tuæ, quæ etſi maxima eſt, aliquo incremento; & nonnè à te ipſo iam æui, & iudicij maturo tibi ſecuritas? at inquies, omnia ſimul larga, & liberali manu emitto? Si placuit, quid ni libere? niſi velis Romanæ militiæ Imperatores ſequi, qui ſolebant alia, & alia militari centuria in periculum emiſſa fœliciter de totius belli euentu ominari, aut præuidere, mox ſecuri plenis copijs in aciem ferri. Sed tui ea res iudicii qui non niſi optima, & rectiſsima ſtatues, me verò tui olim nominis, & eximiæ doctrinæ cultorem, nūnc quoque amantem ama, & vale ad longè plurima annorum ſpatia.

Piſis pridie idus Ianuarias 1661.

Cla-

Clariſſimo, ac Nobiliſſimo Viro
IOANNI BAPTISTÆ SAMINIATI.

Lucam.

ETſi ea tibi animi conſtantia obtigerit, vt nulla in rebus humanis viciſſitudine mouearis, poſſiſque omnia, quæ ſecundùm naturæ decreta ſolent mortalibus accidere, æquiſſimo animo ferre, neq; quam à te ipſo promptam habes, ullius conſolatione indigeas, tamen, vt humana indole ſumus, fieri non poteſt, vt tam arcti ſanguinis iacturam mæror non comitetur, quem tamen ſublimi cogitatione ſapientes leniũt. Hæc eadem à te ſapientiſſimo fieri quid dubitem? qui ſcis hæc omnia, quæ nunc læti aſpicimus à nobis aliquando deſerenda eſſe, & ipſa poſt nos interitura olim; Cœli enim, terrarumque moles, quàm vaſta, quàm ingens, quàm lata eſt, ſemel occidet, & in vaſtiſſimum diſſoluta cadauer iacebit. At in Illuſtriſſimo Patre non tam tua, quàm publica iactura facta eſt. Os ſuum, quo veſtra olim Reſpublica Cæſari, nuper Sanctiſſimæ memoriæ Innocentio Decimo Pontifici optimo maximo locuta eſt, amiſit. Suũ curia ſenatorem luget. Patritius ordo in ſuo lumine extincto gemit. In Ciue optimo amiſſo ſuperſtes Ciuitas lachrymatur. Videſne Saminiati quàm non tibi occiderit ſoli prudentiſſimus Pater? priuata funera priuati gemitus intra domeſticos parietes excipiunt, maximorum hominum publici

 ſe-

ſequuntur. Sed ego quò proprio mœrore ſaucius ſtylo trahor? Solandus ipſe ſolatia adhibeo. At negat illuſtris anima Laurentis, quæ nunc è coruſca regione cœli (ſic planè confidimus) hæc omnia humana deſpicit, ſibi lachrymis, luctuque parentari. quo in voto mœrorem leni, & me mærentem ama.

Piſis tertio idus Februarias 1661.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN

Florentiam.

SCribet Marius Cæſareo fratri vt nexiles nodi ea, qua dicis, mole, & colore ad vos illuc perferantur. Penes nos erit curā ſoluendæ in eam rem pecuniæ. Molimur aliquid in nuptias noſtri Sereniſſimi Principis Medicei. Argumentũ omne, & apparatus Nympharum in mediterraneo fit pelago, dũ Sereniſſima Borbonia Labronem aduehitur. Iam penè ad calcem deduxi. Tu, obſecro, vide ſi hic quoque labor Sereniſsimo Leopoldo placebit; ſi id ocìſsimè tua opera intelligi poteſt, ego multò animoſius finem perſequar. Latorem mearum (is id meretur, & à tua humanitate expecto) duos, aut tres dies ale. A Mario, ſemperque hilari Andreonio ſalue. Cura in procurandis obſeruationibus Malpigi dabitur. Oblata hoſpitij

tij officia ita ac ſi adſuturus ſim, agnoſco. Vale.

Piſis ante cænam quarto idus Maias 1661. habes Elegiam pro Rege Britannico.

Clariſſimo, ac Excellentiſſimo Viro
D. VLDERICO NARDI

Florentiam.

DVlci humanitatis errore iam ſecundùm peccauiſti, nam nuper mihi homini aduenæ, quam ego quidem non merui, laudem elegantiſsimis numeris dixiſti. Nunc verò nil tale audentem cogitare prior officio litterarum præueniſti. Vide queſo, an aliud hic poſsim quàm erubeſcere, precipuè cum meas ipſe partes initio tuarum ſuſcepiſti; ego tamen is ſum, qui officia intermiſi, non tam mea, vt noſti, quàm aduerſæ valetudinis culpa, cui, ſi fas ſit, velim aliquando ſuccenſere, quòd optimis ſæpè viris vt moris eſt, non poſsim morem gerere. Planè diuinaſti, ea quæ ſcripſiſti, incredibili cupiditate auebam ſcire; & hoc nomine Tilmanno ſuccenſebam quod is ante multas hebdomadas hæc talia rogatus nihil ſcriberet. Noſtrum Poematium nuptiale ad calcem perduximus, & Sereniſsimo Leopoldo communi Mœcenati inſcripſimus. de impreſsione facienda hæremus ambigui. Aliquid tamen certi ſtatuemus, idque à cul-

tiſsimo Terentio accipies. Noli, obſecro, mea apud Florentinos poematia plus ęquo attollere, quia re uera tanti non ſunt; & ego, fortaſsis omni laude excidam, quando famæ præoccupatæ minus reſpondebo. Noui ego iudicia humana; plerique homines, aut a ſe ipſis, aut ab alijs, aut aliquo affectu iudicant cæterarum rerum ſecuri ſi benè, aut malè; pauciſsimi verò illi, qui ex animo velint, aut poſsint cenſere. quamobrem nihil fore in omni vita ſecurius putaui, quā ſua ſcripta modeſtiæ velo aduerſus liuorem munire. De Chimentellio vt ſcribis, ita est; hic vir parem in Hetruria, totaq; Italia non habet. tuæ verò humanitati quid nunc adſcribam? obſequia, & officia animo quidem, re ipſa polliceri non poſſum, poſſum autem ingenuè amandi perennitatem; hanc quęſo à Belga cape, qui tibi omnia proſpera, ſecunda, & fortunata toto longæ vitæ curriculo auguratur, optatq; ex animo. Vale

Piſis pridie nonas Iunias 1661.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
D. COMITI CAROLO DE DOTTORI.
Patauium.

NOn potui non tantæ humanitatis exceſſui reſpondere; Quis ſum ego Clariſsime Comes, vt me hominem in Hetruria aduenam tantoperè à nuptiali poematio commendes? neque commendes ſolùm; ſed

velis

velis quoquè vt apud Euganeos ſim in illa maxima Antenoris Ciuitate, lectiſsimaque Europæ Academia. Erubui profectò cùm talia à Terentio, Zannettioque clariſsimis viris audiui, meque quodammodo piguit non me mei nunc iuris eſſe. Quo enim loco libentius ſim, quàm in florentiſsimo Italiȩ tractu? vbi Belgæ Longolij cineres quieſcũt, nec procul ab Vrbe Bembi Nonianum eſt. Vbi Lambini, totque clariſsimi viri ità emicuère doctrina, vt eorum fama non niſi cũ mundo occidente occidere poſsit. Gratias porrò habeo, habeboque ſemper maximas pro tam ſingulari erga me immerentem affectu. Tenemur hìc luculento, & nobili ſtipendio Piſis. Cætera, ſi vnquam liber ſim, optem apud vos eſſe. Quæ emiſi nuper poematia cũ Europa pacata etſi exile ſit munus, in mei tamen amoris, obſeruantiæque monumentum volens accipe, meque ſinas deinceps tuis clientibus adnumerari. Salue vir maxime, laus eruditæ inclyta Italiæ, & vale quàm Græciæ, aut Aſiæ ſenes diutius.

Piſis quinto Calendas Decembris 1661.

Admod. Venerab. ac eruditiſs. Viro
BERNARDINO PLOEGERIO
è Familia Franciſcana.

Labronem.

AMbas accepi. Sed prioribus, cùm ea, quæ volebas fieri, feciſſem, reſponſione

ſione inutili abſtinui. De agreſtibus, qui cados vini perferendos Labronē ſuſcipiant, nihil certi habeo, cùm nemo eorum hominum Piſis ab vltimis oneribus muſti appaiuerit, faciam tamen omnia diligentiſsimè, efficiamque, ſi videre agreſtes contingetur, vt binos cados eo, quo vis ab ædibus veſtris, interuallo accipias. In ſupremis litteris tuis nuntias de tuo fratre. at cur ille ſiluit de meis litteris, aut libello Louanium perlatis? mirabar herclè hominis alioqui amiciſsimi, & vt credebam, integerrimi amicitiæ cultoris incuriam, cùm repentè è litteris romanis diſco qui Louanium Domino Præſidi Auunculo meo perferri debuit, libellum dono huius Authori epiſtolæ remanſiſſe. Non addo alia, ne tibi, qui harum rerũ particeps eſſe non potuiſti, videar aliquanto grauius, acerbiuſque ſcribere; ſed eo ſolùm conſilio ſcripſi, vt tu fratrem opportunè commoneas cum amicis paulò fidelius diligentiuſq; agendum eſſe. Studeo rei tuę cum Rubenio conciliandæ, & ſpero fore vt is tibi, vt anteà, amiciſsimus fiat. Si qua in re ope mea, tecto, & hac qualicumq; tenuitate rerum vti libuerit, tuo nutu vtere, & impera, quæcũq; velis à me fieri curata efficiam. tu contrà huic meæ optimæ voluntati, & amori tuum quoque amorem repone. Vale,

Piſis decimoſeptimo Cal. Decembris 1661.

Ib-

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

IAm bis miro humanitatis exceſſu me hominem in Hetruria aduenam compellas, neque conatibus meis, quos Sereniſſimæ Domui Thyrrenæ debeo, laudem ceſſas adiungere. De Doride mediterranea, & alijs poematijs dico; non enim illa tanti ſunt, niſi tanti à beneuolentiæ tuæ affectu haberentur. Videſne, vt in ſuperioris epiſtolæ argumenta relabar? ne mirere. eadem efficaciſſima indole me rapis, nec poſſum alius eſſe; quia alia non eſt benignitas tua. Omnis itaq; opera à me dabitur vt talis ſim, qualis & ego eſſe velim, & tu me eſſe, omniũ Italorum integerrime Redi, prædicas. Pergone nunc ulterius (dicet cùm ad vos redibit Vanninius) hæſi attonitus cùm initio loquendi is tuo nomine ſalutem, mox litteras, mox ea munuſcula daret, quæ ſcirem non in Italia modò, ſed in tota Europa ſtudioſiſsimè quæri. Cæpi profectò fiduciam aliquanto diutius viuendi, dum tali uti antidoto contigerit; atque adeo ſi quid mihi hac ope prorogabitur vita, in cultum tui nominis, diutiuſque habendas grates prorogabitur. Prȩterea in meo tam tenui, tamque exili, quod mittimus, munuſculo non vim aliquam, non pretium, ſed obſequentiſsimi tibi Belgæ amorem, animumque agnoſce. hoc candidè opto, Tibique,

quæ longiſsima ſit, ætatem. A Belga tuo cliente vir maxime ſalue.

Piſis poſtridie idus Nouembres 1661.

Illuſtriſſimo D. D.
GHERARDO CESALPINI
Piſarum Proantiſtiti.

Piſas.

NImia humanitas tua facit in ipſo veſtibulo reſpondendi verba quæram, quibus & animum meum gratum exprimere, & tua tum ſtudia, tum officia poſsim deprædicare. At hæc omnis pompa, & ſupellex elegantiæ tua alta indole, & excelſa benignitate minor eſt, tibique proprium vindicaſti, vt in hominibus probis tuendis, ornandiſque, tua non modò authoritate, ſed ipſo quoque ſtudio libentiſsimè vtaris. Video abſens, coloque quos mihi in ampliſsimo magiſtratu pronos Septemuiros reddidiſti. Vtinam ut corpus coram, ita animus è longinquo videretur, mens herclè noſtra ſe totam tibi, ſe totam ampliſsimis viris, iſtis inquam nouis Romanarum Artium Mœcenatibus debere fateretur. Libellos ſupplices, alterum ſoluta, alterum ligata oratione Sereniſsimo Principi Leopoldo ſcripſi, ſperoq; fore ut intra paucisſimos dies aliquid, quibus commender, litterarũ eliciam. Epigramma interim leni, & miti

acu-

acumine exaratum habe, & conniuenti oculo lege; quam enim gratiam ab argutia mereri non poteſt, à celeritate audet ſperare. Hìc omnia Clariſsimi Octauij Boldonij, qui magni Principis Hetruriæ adoleſcentiam græcis, latiniſque litteris imbuit, conſilio agimus, eiuſque ope, quæ illius in me humanitas eſt, utimur. Te verò ampliſsime Proantiſtes, ac Patrone maxime, etiam atque etiam obnixè oro, vt me denuò ampliſſimo Magiſtratui Piſarum commendes, tuiq; fauoris aura hanc ratem in ſpei, metuſque fluctibus hærentem proſequare. Vale.

Florẽtiæ ſeptimo Calendas Februarias 1656.

Clariſſimo Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

MAlè ſit ponti Piſano, & toti iſti denſiſsimo dimicandi ſimulacro, dum alia hinc, & alia inde ſeu Ciuibus mixta, ſeu agreſtibus acies, ingratiſsima ſpectantibus mora hoſtem operitur. putes planè conſtipata agmina, neque Auguſtos adeſſe, neque cur ſimulato prælio certaretur, meminiſſe. Tam hebete ac obſtinata utrimq; conſtantia ſtatum fuit, ut iam ſole occidente vix loco denſati manipuli mouerentur, vixque in aduerſæ ſtationis caſtra dubia vincendi margine iretur; adeoque nec ſua bellatoribus

bus finis,nec ſua ſpectatoribus Auguſtis voluptas tota obtigerit. At inquies? hæc omnia vidimus,cur repetis? quia hoc ficto pręliandi ſtudio euenit, ut ego vera venerationis meæ obſequia, neq; Sereniſs.Magno Duci deferre, neq; amorem erga te meum,quo te iam olim, tum ob placidæ humanitatis, tum ob eximiæ doctrinæ merita, proſequebar, magis, ac magis confirmare, ac omnia fauſta in faciundo itinere apprecari nequiuerim. Scis enim ſuprema, antequam diſcederetur, nocte, Palatinas ædes frequētiſsimis Piſanis oppletas fuiſſe, ut Auguſti oraculo, aut vincendi, aut amittendi lis dirimeretur. has aliquanto priores cùm Vaninio dediſſem, ſed nunc piget dilati officij, cùm quos cogitabam includere elegos, ne nunc quidem poſsim mittere. Dabo tamen operam, ut hoc qualicumque vacandi interuallo, ſi non ex viribus meis, ſaltem ex animi voto tuo nomine, & clariſsima exiſtimatione dignos pangam. Audio, atque utinam verè audierim, Auguſtos eſurialibus ferijs Piſas redituros. Si ita erit, coram omnia officia Romanè, & Belgicè explebimus. Sin minus,officio litterarum utar,oſtēdamque herclè quantum & tuæ humanitati eximiæ,tuęque ſingulari virtuti, cultiſsimoque in politioribus litteris ingenio debeam, Vale,& tui amantem ama.

Piſis pridie Calendas Februarias 1662.

Perilluſtri, ac Reuerendiſs. D.
IVLIANO MARCHI
Canonico Piſcienſi.

Piſciam.

NOn potuimus neque nunc publico abſtinere, rurſuſq; in iudicia hominum, ſed alia ſtyli ſpecie venire, metuo hercle ne non eadem fœlicitate; ſcis quàm delicata ſit in quibusdam hominibus ſaliua. Volunt enim plerique ſuo quaſi genio ſcribi. Alijs prolixa, alijs coacta in breuitatem oratio placet. Nonnulli nuda omnia, & ſimplicia cupiunt; contra nonnulli fucum, & tumidæ affectionis illecebras malunt. Quicquid id eſt, ego ſoli Rainerio ſummæ olim ſanctimoniæ viro, cuius me patrocinio cõmiſi, ſtudui qualicumque ſtylo gratus eſſe. Tu lege Iuliane, & amica libertate ſi alibi ſubalgere, alibi nimio æſtu accendi videamur, indica, nam ſua cuique in re facilè cæcutire eſt; neque mea tam ſollicitè ſcripta amare, aut tueri velim, ut ea non libẽs monentibus amicis mutem, expungam, emendem. Equiti fratri tuo, cum hic noſtri anguſtia tecti hoſpes uteretur, oblatos ab Eminentiſſimo Cybo honores gratulari non deſtiti. Dignitas illi ampla, & perhonorifica, qua in aulis Principum vix maior eſt, non petenti obtigit. Vide qui illi ſint, qui in auro merum Regibus, ſimilique dignitate Principibus propinent. Cybo a ſanguine & Purpura Princeps eſt, cuius re-

giam indolem, capaxque ad omnia maxima moderanda ingenium mirificè Purpuratorum Ordo amat, ſuſpicit, ac veneratur. Tu quando ad nos? quas hic includimus da Conuallio. Valetudinis tuæ curam diligentiſſimam habe. Vale.

Piſis decimo Calendas Iunias 1662.

Clariſſimo Viro
MICHAELI VANNINIO

Florentiam.

VTinam alia in re Venuſini plectra æmulari, aut vincere potuiſſes; nunc verò ut venuſta elegantia mœrendi, tuique cantus fœliciſſimus dolor me ſumma extulit lætitia, ita ipſius infœlicitas argumenti me tuo quoque dolore tactum, præcipitem in lacrymas deiecit. Quid ego te ſoler? qui ſcis hæc omnia fluxa, & incerta eſſe, quique tibi ipſi in pulcherrima Ode meliora, quàm alij poſſint, ſolatia adhibuiſti? Sed mœſta illius rei aduerſitas eò reijcienda non fuit, quò tu eam præ demiſſa animi pietate reiecisti. Sed veteris, ut opinor, ſanctimoniæ heroes tibi imitandos duxiſti, qui omnia ſibi aduerſa imputantes, ſeu læta, ſeu triſti viciſſitudine rerū nunquā fortitudine mētis, & cōſtātia animi exciderít. Sint immortales gratię Clariſsimo Redio, quo viro uniuerſa Hetruria nil habet cultius, nil doctius, nil de-

deniq; humanius, qui Oden hetruſcam ſuo ſimul nomini, ſimul ipſi æternitati nuncupatam (ſic ego ob elegantiam Authoris interpretor) mihi homini aduenę, eiuſmodi deliciarum, quò magis cupido, eò minus ſcienti, miſerit. Cum ultimis tuis non iam aliena, ſed tua dona, ideſt Odam, non iiſdem numeris, ſed eadem facilitate pangendi ęquè nobilem, ac ſuperior fuit, miſiſti. Eſt herclè quod tibi, tuoque fęliciſſimo ingenio gratuler; eò namque incipis ire, quò primùm apud Thebas Pindarus, apud Romanos Venuſinus iuère, ideſt in ipſa penetralia Muſarum. Tu perge non vnius Phębi delicium eſſe, ſeu velis ab aliis fatum auertere dum mederis, à te obliuia, dum canis. Salue, & vale ad fauſtę, & prolixę ſpatia ſenectutis.

Piſis nono Calendas Quintilis 1662.

Illuſtriſs. ac Clariſs. Viro
SIGISMVNDO MARCHERI
Equiti S. Stephani.
Forumliuium

Cvm nihil ęquè in votis haberem, quàm tibi quam primum, quàm ociſſimè priori officio litterarum obſequi, deque tuo fauſtiſſimo in Patriam reditu gratulari, cuperemque meum erga te amorem cum eximio cultu, obſeruantiaque coniunctum; ut ſingularis tua humanitas, & egregia in me ho-

hominem aduenam propenſio meretur,ſcripto ſi minus eleganti, ſaltem obſequioſo teſtari. En mihi ad eiuſmodi officia planè attonito priores tuę litterę plenę humanitatis, & eximiæ erga me beneuolentiæ teſtes pridie Calendas Septembris afferuntur; atque uno, eodemque tempore ſimul maximè gauiſus fui, ſimul maximè dolui. Non potui non gaudere cùm à te uno omnium humaniſſimo Italorum, eodemque ſapientiſſimo, ac clariſſimo viro, qui iam ſæpè in mari Ægeo aduerſus Thraces dimicando omnes inuictiſſimi Equitis partes expleuiſti, me cognoui non mediocriter amari, meamque, quæ in me exigua, aut potius nulla eſt, in litteris cognitionem aliquo apud te loco haberi. Non potui non dolere, quòd pulcherrima occaſio, qua te potui,& me omnino decebat, prius obſequio mearum præuenire, iam penitus ſublata ſit, atq; adeo nil reliquum ſit, quàm ut meæ ſubindè inertiæ, & non accelerατæ in hoc prori officio diligentiæ iraſcar. Sed hæc video à tua humanitate, & ingenua indole, quæ ipſa quoque voluntate officij contenta ſit,non adeo à me requiri. Noua mea poematia Amſtelodami in Batauis, cùm nouus ibi Atlas ingenti mole cum noua Vrbium, quæ in orbe ſint, effigie excudatur, imprimi nō potuere. Videbo tamen ſi Lugduni Galliarum, nam ibi quoque elegantia typorum celebratur, & vicinius, & commodius edi poſſint; ſin minus aliqua apud Italos edendi

di ratio inibitur: Iamque locum iis elegis, quibus nauigationem tuam cum Tyrrhena, & Melitenſe claſſe proſecutus fui, iuxta Elegiam Britannici Regis aptaui. Nunc animum meum, qui ſe tibi cum inſigni conſtantia te perpetuò amandi, colendique totum dedidit, pro tua mirifica in me beneuolentia libens admitte, & à me fortiſſime Eques Sigiſmunde non tuę modò Flaminiæ, ſed uniuerſæ Italiæ clarum decus ſalue, & tamdiu quàm olim Neſtor valuit, ſoſpes vale.

Piſis nonis Septembris 1662.

Eruditiſſimo Iuveni
DOMINICO ANDREONIO
SVO.

Lucam.

TAndem poſt tot nubila ſilendi ſol vocalibus radiis in Andreonio meo vt in ſtatua Memnonis reluxit. Pœnè me iuuit intermiſſę officiis amicitię tantiſper caruiſſe, ut hac noua humanitate tuarum quaſi nouæ neceſſitudinis vinculo plenius recrearer. Quid dicis de homine iſto cenſore? habetne acutiores quàm alii viri prudētiſſimi oculos? vel in alicuius fauorem ſtolidè cauillatur? tu noſti ſimilia hic mihi Piſis à quibusdam hominibus ſemiliteratis obtigiſſe, qui iuſſi cenſere de meis libris, cùm neque ſenſus, neque latinitas ab ijs caperetur,

tur, ita temerè pleraque poſitis in margine crucibus damnarent, ut magni quoque Numinis natalem hebete ſignandi calculo eliderent. Idem ab iſthoc homine factū vides, qui cum ſuperba arrogantia me credidit imprudentiæ arguere, ego ipſum imprudētiſſimū hominē arguo, qui non me, ſed clariſsimū Abb. Siluanū Razzi Clementi VIII. chariſsimum, a quo Vitæ Sāctorum Hetruriæ editæ, & quæ nos de Rainerio diximus ante ſint dicta, & impreſſa, rationibus nil ad rem attinentibus inſectatur. Præſumitne vaniſsimus homo plus in ſcripturis ſacris, aut ſanctionibus Pontificum ſcire, quàm ſciuerit Siluanus? id nolint Camaldulenſes, neque ſub alieno nomine tam benè meriti de Romana Eccleſia Antiſtitis famam lædi. Non pergo. In portu Labeonenſe cum plena Sacrę Quæſitionis facultate imprimimus, videbitque homo iſte impreſſa quæ ſtolidè imprimi vetabat. Vale, & aliquid nobis non de iſto ab Inſubria homine, ſed de rebus tuis ſcribe.

Piſis quinto idus Sextilis 1662.

Eruditiſſimo Iuveni
DOMINICO ANDREONIO
SVO.

Lucam.

VEſcebamur medias fidius opiparè nil veſtrate tenerius vituli na, ſeu veru

torquetur, ſeu ſimplice lympha æſtuat, ſeu in liguſtica teſta ſparſis aromatibus cōditur; quicquid medullarum in oſsibus fuit lactente hauſtu Laurentius ſenior inuaſit. Nemo, niſi tuo ad ſecundam valetudinem nomine inuocato, pocula Liberi patris libabat, hauriebat, aut hauſta ipſi Lygdamo reddebat. Sed quid ego hæc? iam à Bianchinio audiſti. Sed grates hercle immortales habeo; cùmque par pari hac ſterilitate agri damnati rependere non poſsimus, cretici meri heminam cum anu monolca mittimus. In tuo dolore, & diuturno languore optimæ parentis tuæ non aliter, quàm ſi ipſe Andreonius eſſem, doluí. Sed hæc omnia humana ſunt, & propterea conſtante tranquillitate animi ferenda. Dic quæſo chariſsimæ matri meo nomine officioſiſsimam ſalutem: & vale ad celebratæ olim ſenectutis ſpatia, & ſalue à tui amantiſsimo nominis Belga.

Piſis idibus Septembris 1662.

Clariſſimo Viro
IOANNI CHELIO
Legum, & elegantiarum Interpreti eximio.

Piſciam.

VIx mei ad te riuulus obſequij permanat, tu repente toto humanitatis oceano in me redundas. Vnde hæc Cheli prodigia, qui non ſinè nouo beneuolentiæ exemplo

ho

hominibus ignotis faues? res mihi gratiſsima fuit mea quidem poematia à te diligentiſſimè legi; at nolim plus à te amori, tuoq; erga me affectui dari, quàm ipſi acerrimo iudicio tuò tribui. Sed hæc omnia mihi ità interpretanda eſſe propono, ut quaſi ſtimulo à claris hominibus addito ea ſtudeam animoſo labore conſequi, quæ vos quidem me dicitis, at ego nedum conſequutum eſſe intelligo. Quicquid id eſt, amo, & amplector, ſi iudicia non poſſim, ipſos amicos tam beneuolè de me, meiſque lucubrationibus ſentientes. teque eruditiſſime ſimul, ac integerrime Cheli eo nomine nunc ſtylo palam, & obſeruantia, & affectu colo, venerorque, & ſi te iam olim, cùm Bononiæ, & Lucæ fui non vnius doctrinæ nomine inſignem amaui. Nec mirere, nam vt Soli lux ſua ſubduci non poteſt, ita neque probis, & eruditis hominibus fama. quin domeſtico teſtimonio a Iuliano Marchio sũmæ ſpei iuuene, ſummoque tui nominis æſtimatore audio hæc omnia quotidianis ſermonibus confirmari. Habe obſecro in mutui amoris auſpicia exile quidem, ſed quod a grato, & liberali amico proficiſcitur, monumentum, mea inquam poematia re ipſa & mole nõ magna, magna tamen ſi ab affectu meo, & amore metiri voles. vale laus magna æquiſſimæ Themidis, & ſalue a tui peramãte Belga, qui tibi qui imminent Dominici ortus feſtos dies, fauſtos, felices, ac ad longè plurima annorũ ſpatia redituros auguratur.

Piſis idibus Decembris 1662.

Perilluſtri, ac Reuerendiſs. D.
IVLIANO MARCHI
Canonico Piſcienſi.

Piſciam.

SVmma me voluptate tuus,qui hàc Labronem proficiſcebatur,agricola affecit, cũ te facili itinere,cœlo, neque imbribus fœdo, neq; nimio æſtu, aut flatu ventorum grauì,veniſſe incolumem ad tuos nuntiaret; ſed me piguit incogitantiæ, cùm faſciculus librorum relatus eſt, neque in illa properatione quicquã de Quæſitoris Fidei licentia in mentem venerit, quam poſt tuo populari Dino dedimus. Nihil à diſceſſu tuo rerum nouarum habuimus. Sua huic Academiæ ſolitudo accedit; immo iam incipit à profitentibus diſciplinas, earumque auditoribus paſſim diſcedi; ſignum quidem matutinis horis ære datur,ipſique togati ſub porticibus lycei inambulant; ſed cum digna, cui legeretur, frequentia non aduentet, non inuiti opinor ambulationes ſecus ripam fluminis, aut nauale ſuſcipiunt. Anus monolca expleri nequit, ſeu verrit ædes, ſeu nendo torquet licium, ſeu aliud quippiam facit, continuò ad ceraſa redit, inque ipſo eſu mirificè commendat vt probi, & luculenti ſaporis plena, Piſanas verò ceraſos, v cœlo inclementiſſimo natas arbores,execratur. Tibi illa, & neptis Perina aquaria gratias pro munuſculi gratia aſcribunt. Tu fratribus tuis offi cioſam à me ſalutem nuntia,

quæ longiſsima ſit, ætatem. A Belga tuo cliente vir maxime ſalue.

Piſis poſtridie idus Nouembres 1661.

Illuſtriſſimo D. D.
GHERARDO CESALPINI
Piſarum Proantiſtiti.

Piſas.

NImia humanitas tua facit in ipſo veſtibulo reſpondendi verba quæram, quibus & animum meum gratum exprimere, & tua tum ſtudia, tum officia poſsim deprædicare. At hæc omnis pompa, & ſupellex elegantiæ tua alta indole, & excelſa benignitate minor eſt, tibique proprium vindicaſti, vt in hominibus probis tuendis, ornandiſque, tua non modò authoritate, ſed ipſo quoque ſtudio libentiſsimè vtaris. Video abſens, coloque quos mihi in ampliſsimo magiſtratu pronos Septemuiros reddidiſti. Vtinam ut corpus coram, ita animus è longinquo videretur, mens herclè noſtra ſe totam tibi, ſe totam ampliſsimis viris, iſtis inquam nouis Romanarum Artium Mœcenatibus debere fateretur. Libellos ſupplices, alterum ſoluta, alterum ligata oratione Sereniſsimo Principi Leopoldo ſcripſi, ſperoq; fore ut intra pauciſsimos dies aliquid, quibus commender, litterarũ eliciam. Epigramma interim leni, & miti acu-

acumine exaratum habe, & conniuenti oculo lege; quam enim gratiam ab argutia mereri non poteſt, à celeritate audet ſperare. Hic omnia Clariſsimi Octauij Boldonij,qui magni Principis Hetruriæ adoleſcentiam græcis, latiniſque litteris imbuit, conſilio agimus, eiuſque ope, quæ illius in me humanitas eſt, utimur. Te verò ampliſsime Proantiſtes, ac Patrone maxime, etiam atque etiam obnixè oro, vt me denuò ampliſſimo Magiſtratui Piſarum commendes,tuiq; fauoris aura hanc ratem in ſpei, metuſque fluctibus hærentem proſequare. Vale.

Florētiæ ſeptimo Calendas Februarias 1656.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

MAlè ſit ponti Piſano, & toti iſti denſiſsimo dimicandi ſimulacro,dum alia hinc,& alia inde ſeu Ciuibus mixta,ſeu agreſtibus acies, ingratiſsima ſpectantibus mora hoſtem operitur. putes planè conſtipata agmina, neque Auguſtos adeſſe, neque cur ſimulato prælio certaretur, meminiſſe. Tam hebete ac obſtinata utrimq; conſtantia ſtatum fuit, ut iam sole occidenre vix loco denſati manipuli mouerentur, vixque in aduerſæ ſtationis caſtra dubia vincendi margine iret ur; adeoque nec ſua bellatoribus

bus finis,nec ſua ſpectatoribus Auguſtis voluptas tota obtigerit. At inquies? hæc omnia vidimus,cur repetis? quia hoc ficto pręliandi ſtudio euenit, ut ego vera venerationis meæ obſequia, neq; Sereniſs.Magno Duci deferre, neq; amorem erga te meum,quo te iam olim, tum ob placidæ humanitatis, tum ob eximiæ doctrinæ merita, proſequebar, magis, ac magis confirmare, ac omnia fauſta in faciundo itinere apprecari nequiuerim. Scis enim ſuprema, antequam diſcederetur, nocte, Palatinas ædes frequētiſsimis Piſanis oppletas fuiſſe, ut Auguſti oraculo, aut vincendi, aut amittendi lis dirimeretur. has aliquanto priores cùm Vanninio dediſſem, ſed nunc piget dilati officij, cùm quos cogitabam includere elegos, ne nunc quidem poſsim mittere. Dabo tamen operam, ut hoc qualicumque vacandi interuallo, ſi non ex viribus meis, ſaltem ex animi voto tuo nomine, & clariſsima exiſtimatione dignos pangam. Audio,atque utinam verè audierim, Auguſtos eſurialibus ferijs Piſas redituros. Si ita erit, coram omnia officia Romanè, & Belgicè explebimus. Sin minus,officio litterarum utar,oſtēdamque herclè quantum & tuæ humanitati eximiæ,tuęque ſingulari virtuti, cultiſsimoque in politioribus litteris ingenio debeam. Vale,& tui amantem ama.

Piſis pridie Calendas Februarias 1662.

Per

Perilluſtri, ac Reuerendiſs. D.
IVLIANO MARCHI
Canonico Piſcienſi.

Piſciam.

NOn potuimus neque nunc publico abſtinere, rurſuſq; in iudicia hominum, ſed alia ſtyli ſpecie venire, metuo hercle ne non eadem fœlicitate; ſcis quàm delicata ſit in quibusdam hominibus ſaliua. Volunt enim plerique ſuo quaſi genio ſcribi. Alijs prolixa, alijs coacta in breuitatem oratio placet. Nonnulli nuda omnia, & ſimplicia cupiunt; contra nonnulli fucum, & tumidæ affectionis illecebras malunt. Quicquid id eſt, ego ſoli Rainerio ſummæ olim ſanctimoniæ viro, cuius me patrocinio cōmiſi, ſtudui qualicumque ſtylo gratus eſſe. Tu lege Iuliane, & amica libertate ſi alibi ſubalgere, alibi nimio æſtu accendi videamur, indica, nam ſua cuique in re facilè cæcutire eſt; neque mea tam ſollicitè ſcripta amare, aut tueri velim, ut ea non libēs monentibus amicis mutem, expungam, emendem. Equiti fratri tuo, cum hic noſtri anguſtia tecti hoſpes uteretur, oblatos ab Eminentiſſimo Cybo honores gratulari non deſtiti. Dignitas illi ampla, & perhonorifica, qua in aulis Principum vix maior eſt, non petenti obtigit. Vide qui illi ſint, qui in auro merum Regibus, ſimilique dignitate Principibus propinent. Cybo a ſanguine & Purpura Princeps eſt, cuius re-

 giam

giam indolem, capaxque ad omnia maxima moderanda ingenium mirificè Purpuratorum Ordo amat, ſuſpicit, ac veneratur. Tu quando ad nos? quas hic includimus da Conuallio. Valetudinis tuæ curam diligentiſſimam habe. Vale.

Piſis decimo Calendas Iunias 1662.

Clariſſimo Viro
MICHAELI VANNINIO

Florentiam.

VTinam alia in re Venuſini plectra æmulari, aut vincere potuiſſes; nunc verò ut venuſta elegantia mœrendi, tuique cantus fœliciſſimus dolor me ſumma extulit lætitia, ita ipſius infœlicitas argumenti me tuo quoque dolore tactum, præcipitem in lacrymas deiecit. Quid ego te ſoler? qui ſcis hæc omnia fluxa, & incerta eſſe, quique tibi ipſi in pulcherrima Ode meliora, quàm alij poſſint, ſolatia adhibuiſti? Sed mœſta illius rei aduerſitas eò reijcienda non fuit, què tu eam præ demiſſa animi pietate reiecisti. Sed veteris, ut opinor, ſanctimoniæ heroes tibi imitandos duxiſti, qui omnia ſibi aduerſa imputantes, ſeu læta, ſeu triſti viciſſitudine rerũ nunquã fortitudine mẽtis, & cõſtãtia animi exciderĩt Sint immortales gratię Clariſsimo Redio, quo viro uniuerſa Hetruria nil habet cultius, nil doctius, nil

de-

deniq; humanius, qui Oden hetruſcam ſuo ſimul nomini, ſimul ipſi æternitati nuncupatam (ſic ego ob elegantiam Authoris interpretor) mihi homini aduenę, eiuſmodi deliciarum, quò magis cupido, eò minus ſcienti, miſerit. Cum ultimis tuis non iam aliena, ſed tua dona, ideſt Odam, non ijsdem numeris, ſed eadem facilitate pangendi ęquè nobilem, ac ſuperior fuit, miſiſti. Eſt herclè quod tibi, tuoque fęliciſſimo ingenio gratuler; eò namque incipis ire, quò primùm apud Thebas Pindarus, apud Romanos Venuſinus iuère, ideſt in ipſa penetralia Muſarum. Tu perge non vnius Phębi delicium eſſe, ſeu velis ab alijs fatum auertere dum mederis, à te obliuia, dum canis. Salue, & vale ad fauſtę, & prolixę ſpatia ſenectutis.

Piſis nono Calendas Quintilis 1662.

Illuſtriſs. ac Clariſs. Viro
SIGISMVNDO MARCHERI
Equiti S. Stephani.

Forumliuium

CVm nihil ęquè in votis haberem, quàm tibi quam primum, quàm ociſſimè priori officio litterarum obſequi, deque tuo fauſtiſſimo in Patriam reditu gratulari, cuperemque meum erga te amorem cum eximio cultu, obſeruantiaque coniunctum, ut ſingularis tua humanitas, & egregia in me ho-

hominem aduenam propenſio meretur, ſcripto ſi minus eleganti, ſaltem obſequioſo teſtari. En mihi ad eiuſmodi officia planè attonito priores tuę litterę plenę humanitatis, & eximiæ erga me beneuolentiæ teſtes pridie Calendas Septembris afferuntur; atque uno, eodemque tempore ſimul maximè gauiſus fui, ſimul maximè dolui. Non potui non gaudere cùm à te uno omnium humaniſſimo Italorum, eodemque ſapientiſſimo, ac clariſſimo viro, qui iam ſæpè in mari Ægeo aduerſus Thraces dimicando omnes inuictiſſimi Equitis partes expleuiſti, me cognoui non mediocriter amari, meamque, quæ in me exigua, aut potius nulla eſt, in litteris cognitionem aliquo apud te loco haberi. Non potui non dolere, quòd pulcherrima occaſio, qua te pot u i, & me omnino decebat, prius obſequio mearum præuenire, iam penitus ſublata ſit, atq; adeo nil reliquum ſit, quàm ut meæ ſubindè inertiæ, & non acceleratæ in hoc prori officio diligentiæ iraſcar. Sed hæc video à tua humanitate, & ingenua indolè, quæ ipſa quoque voluntate officij contenta ſit, non adeo à me requiri. Noua mea poematia Amſtelodami in Batauis, cùm nouus ibi Atlas ingenti mole cum noua Vrbium, quæ in orbe ſint, effigie excudatur, imprimi nō potuere. Videbo tamen ſi Lugduni Galliarum, nam ibi quoque elegantia typorum celebratur, & vicinius, & commodius edi poſſint; ſin minus aliqua apud Italos edendi

di ratio inibitur: Iamque locum iis elegis, quibus nauigationem tuam cum Tyrrhena, & Melitenſe claſſe proſecutus fui, iuxta Elegiam Britannici Regis aptaui. Nunc animum meum, qui ſe tibi cum inſigni conſtantia te perpetuò amandi, colendique totum dedidit, pro tua mirifica in me beneuolentia libens admitte, & à me fortiſſime Eques Sigiſmunde non tuę modò Flaminiæ, ſed uniuerſæ Italiæ clarum decus ſalue, & tamdiu quàm olim Neſtor valuit, ſoſpes vale.

Piſis nonis Septembris 1662.

Eruditiſſimo Iuveni
DOMINICO ANDREONIO
SVO.

Lucam.

TAndem poſt tot nubila ſilendi ſol vocalibus radiis in Andreonio meo vt in ſtatua Memnonis reluxit. Pœnè me iuuit intermiſſę officiis amicitię tantiſper caruiſſe, ut hac noua humanitate tuarum quaſi nouæ neceſſitudinis vinculo plenius recrearer. Quid dicis de homine iſto cenſore? habetne acutiores quàm alii viri prudẽtiſſimi oculos? vel in alicuius fauorem ſtolidè cauillatur? tu noſti ſimilia hìc mihi Piſis à quibusdam hominibus ſemiliteratis obtigiſſe, qui iuſſi cenſere de meis libris, cùm neque ſenſus, neque latinitas ab ijs caperetur,

tur, ita temerè pleraque poſitis in margine crucibus damnarent, ut magni quoque Numinis natalem hebete ſignandi calculo eliderent. Idem ab iſthoc homine factũ vides, qui cum ſuperba arrogantia me credidit imprudentiæ arguere, ego ipſum imprudẽtiſſimũ hominẽ arguo, qui non me, ſed clariſsimũ Abb. Siluanũ Razzi Clementi VIII. chariſsimum, a quo Vitæ Sãctorum Hetruriæ editæ, & quæ nos de Rainerio diximus, ante ſint dicta, & impreſſa, rationibus nil ad rem attinentibus inſectatur. Præſumitne vaniſsimus homo plus in ſcripturis ſacris, aut ſanctionibus Pontificum ſcire, quàm ſciuerit Siluanus? id nolint Camaldulenſes, neque ſub alieno nomine tam benè meriti de Romana Eccleſia Antiſtitis famam lædi. Non pergo. In portu Labeonenſe cum plena Sacrę Quæſitionis facultate imprimimus, videbitque homo iſte impreſſa quæ ſtolidè imprimi vetabat. Vale, & aliquid nobis non de iſto ab Inſubria homine, ſed de rebus tuis ſcribe.

Piſis quinto idus Sextilis 1662.

Eruditiſſimo Iuueni
DOMINICO ANDREONIO
SVO.

Lucam.

VEſcebamur medias fidius opiparè nil veſtrate tenerius vituli na, ſeu veru

torquetur, ſeu ſimplice lympha æſtuat, ſeu in liguſtica teſta ſparſis aromatibus cōditur; quicquid medullarum in oſsibus fuit lactente hauſtu Laurentius ſenior inuaſit. Nemo, niſi tuo ad ſecundam valetudinem nomine inuocato, pocula Liberi patris libabat, hauriebat, aut hauſta ipſi Lygdamo reddebat. Sed quid ego hæc? iam à Bianchinio audiſti. Sed grates hercle immortales habeo; cûmque par pari hac ſterilitate agri damnati rependere non poſsimus, cretici meri heminam cum anu monolca mittimus. In tuo dolore, & diuturno languore optimæ parentis tuæ non aliter, quàm ſi ipſe Andreonius eſſem, doluі. Sed hæc omnia humana ſunt, & propterea conſtante tranquillitate animi ferenda. Dic quæſo chariſsimæ matri meo nomine officioſiſsimam ſalutem: & vale ad celebratæ olim ſenectutis ſpatia, & ſalue à tui amantiſsimo nominis Belga.

Piſis idibus Septembris 1662.

Clariſſimo Viro
IOANNI CHELIO
Legum, & elegantiarum Interpreti eximio.

Piſciam.

VIx mei ad te riuulus obſequij permanat, tu repente toto humanitatis oceano in me redundas. Vnde hæc Cheli prodigia, qui non ſinè nouo beneuolentiæ exemplo ho

hominibus ignotis faues ? res mihi gratiſſima fuit mea quidem poematia à te diligentiſſimè legi; at nolim plus à te amori, tuoq; erga me affectui dari, quàm ipſi acerrimo iudicio tuò tribui. Sed hæc omnia mihi ità interpretanda eſſe propono, ut quaſi ſtimulo à claris hominibus addito ea ſtudeam animoſo labore conſequi, quæ vos quidem me dicitis, at ego nedum conſequutum eſſe intelligo. Quicquid id eſt, amo, & amplector, ſi iudicia non poſſim, ipſos amicos tam beneuolè de me, meiſque lucubrationibus ſentientes. teque erudituſſime ſimul, ac integerrime Cheli eo nomine nunc ſtylo palam, & obſeruantia, & affectu colo, venerorque, & ſi te iam olim, cùm Bononiæ, & Lucæ fui non vnius doctrinæ nomine inſignem amaui. Nec mirere, nam vt Soli lux ſua ſubduci non poteſt, ita neque probis, & eruditis hominibus fama. quin domeſtico teſtimonio a Iuliano Marchio ſũmæ ſpei iuuene, ſummoque tui nominis ęſtimatore audio hæc omnia quotidianis ſermonibus confirmari. Habe obſecro in mutui amoris auſpicia exile quidem, ſed quod a grato, & liberali amico proficiſcitur, monumentum, mea inquam poematia re ipſa & mole nõ magna, magna tamen ſi ab affectu meo, & amore metiri voles. vale laus magna æquiſſimæ Themidis, & ſalue a tui peramãte Belga, qui tibi qui imminent Dominici ortus feſtos dies, fauſtos, felices, ac ad longè plurima annorũ ſpatia redituros auguratur.

Piſis idibus Decembris 1662.

Perilluſtri, ac Reuerendiſs. D.
IVLIANO MARCHI
Canonico Piſcienſi.

Piſciam.

SVmma me voluptate tuus,qui hàc Labronem proficiſcebatur,agricola affecit, cũ te facili itinere,cœlo, neque imbribus fœdo, neq; nimio æſtu, aut flatu ventorum grauí,veniſſe incolumem ad tuos nuntiaret; ſed me piguit incogitantiæ, cùm faſciculus librorum relatus eſt, neque in illa properatione quicquã de Quæſitoris Fidei licentia in mentem venerit, quam poſt tuo populari Dino dedimus. Nihil à diſceſſu tuo rerum nouarum habuimus. Sua huic Academiæ ſolitudo accedit; immo iam incipit à profitentibus diſciplinas, earumque auditoribus paſſim diſcedi; ſignum quidem matutinis horis ære datur,ipſique togati ſub porticibus lycei inambulant; ſed cum digna, cui legeretur, frequentia non aduentet, non inuiti opinor ambulationes ſecus ripam fluminis, aut nauale ſuſcipiunt. Anus monolca expleri nequit, ſeu verrit ædes, ſeu nendo torquet licium, ſeu aliud quippiam facit, continuò ad ceraſa redit, inque ipſo eſu mirificè commendat vt probi, & luculenti ſaporis plena, Piſanas verò ceraſos, v cœlo inclementiſſimo natas arbores,execratur. Tibi illa, & neptis Perina aquaria gratias pro munuſculi gratia aſcribunt. Tu fratribus tuis offi cioſam à me ſalutem nun-

tia,

tia, ſedulò valetudinem tuam cura, & me tui non ſinè cultu amantem redama. Vale.

Piſis decimo quarto Calendas Septemb. 1662

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO

Florentiam.

QVanta moleſtia animi, quantuſque me deiecerit moeror, vt tuas tam ſero, tamq; alieno tempore redditas perlegi, vix mihi ipſi credas, niſi fides ſit (quàm nolim eſſe) a miſerabili caſu amentię, quæ hic nuper hominem Belgam inuaſit; is enim cùm initio alienandæ mentis iam vaneſcenti iudicio omnia perturbatè expenderet, omnia timeret, ac de omnibus preſertim amiciſſimis tibi temerè ſuſpicaretur, factum eſt ut tuas litteras eas eſſe crederet, quæ mihi ab Illuſtriſſimo Hippolyto tanquam de ſeſe querulæ, ac mola quadam labronenſe mitterentur; ſuppreſſit itaque quadraginta, aut eo amplius dies; vixque poſt cùm multa ante de Hippolyto, de mea cum illo amicitia, fauore, gratia, de ſuę declinantis amicitiæ metu dixiſſet, eas reddidit. nil queror, nil dico iam alienata mente homini; immo Belgico obſequio gratiarũ lenio mæſtos vaneſcentis animi luctus; iubeo animo forti, hilari, ac ſecuro eſſe, nil de Sereniſſimo-

morum Principum Auguſto præſidio, nil de Hippolyti ſauore diffidendum. Sic ego tunc cum infœliciſſimo meo populare (qui nunc ad meliora interualla iudicij redit) loquebar. Sed magna mihi viſus ſui carere fœlicitate; quòd tuas, quæ Calendis Iunijs ſcriptæ erãt, vix ipſis Idibus Quintilis acceperim; & ſi enim vel nihil dignum tam auguſto excogitare argumento potuiſſem, ſaltem tibi, vel mei obſequentiſsimi conatus animi miſiſſem, & me tua tam rara, tam ingenua, tam candida, & erudita indole dignum probaſſem; non ipſa quidem materia, quam tu ipſe multo fœlicius inuenires, ſed mea ſingulari tuo nomini obſequendi voluntate. Quę porrò addis de inconcinno, & inelegantí ſtylo, id nolint musæ elegantiarum præſides audire, immo tibi quaſi iraſcente lætitia ſuccenſeãt, qui cùm venuſtiſſimè ſcribis, præ ingenua demiſsione animi non videaris tuæ dona eloquentiæ agnoſcere. At ego ipſe nunc erubeſco, & vix audeo in iudicia Florentina venire. Vide quęſo, & excuſa quam mittimus exilitatem proſæ. Nunc fortaſsis laudem, quam à multis in oratione adſtricta obtinui, ab omnibus in ſoluta perdam. Vt vt erit, me nunquam ſuſceptæ pietatis etiam cum inelegantiæ nota pigebit. Bonis ingenua volũtas pro elegãtia erit. Malis ne ipſa quidẽ ſi adeſſet elegantia ſuffecerit. Tu cultiſsime Forzoni tui amantẽ ama, & vale ad longiſsima ſpatia viuẽdi.

Piſis decimo tertio Calendas Septemb. 1662.

Clariſſimo, & Illuſtriſſimo D.
MARIO FLORENTINIO

Lucam.

NOn te latet, clariſſime Mari, quanta inopiâ tecti laboremus; bini in ædibus meis contubernales degunt, ambo ex ditione Florentina, nobili, & placida indole ornati; hi occupant quicquid tecti eſt. Quęſiui à Iuliano Piſcienſe Canonico, qui modò ad nos redijt (vide cauſam dilatæ ſcriptionis) an oneroſus eſſet in eodem cubiculo ſocius? is ſe meâ cauſa facturum omnia libentiſſimè dixit. Vide nunc ſi affinis Brenij, & ſimili vti incommodo, & eſſe cum hominibus Florentinis velit. Decem ſcutatis monetæ Florentinæ contubernales in ſingulos menſes alimus; at ſuppellex nocturnæ quietis à nobis procuranda eſt. Cur auxiſti, inquies? ego nil auxi, ſed quod alij ſpontè obtulère, ſpontè accepimus. Non fio unquam humaniſsimo Gorniæ obuius, quin ille gratioſa affabilitate, quid de Mario? quando ad nos? quando Patauium? iube inquit amantiſsimè meo nomine ſalue. re. Te verò hìc quamprimum opperimur, ò omnium, quos veneror, & amo, integerrime Amicorum. Tunc vnà licebit multa prolixius loqui, ſi dignabere, hâc quoque ædium anguſtia uti. Officioſiſsimam ſalutem Illuſtriſsimo tuo Parenti, Saminiatio, Brenioque tuo, immo meo affectu colendi, & obſeruandi. De voluntate Zorbij

fac

ſac vt ſciã. Tu ſalue ingens decus litterarũ Mari, & me amantem ama, & Vale.

Piſis ſexto idus Nouembris 1661.

Dediſtine Saminiatio teſtimonia Proantiſtitis Piſarum? dum reſcribis id quoq; ſac ut ſciam. Vale denuò.

Clariſſimo Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO

Florentiam.

Legis denuò ſera officia litterarum; neque illa purgare animus eſt, quid hæres? nos culpa vacamus. vapulent Diuæ noſtræ Pegaſides, quæ mihi ſæpius inuocatæ, dum aliquid unà cum litteris molirer, non modò adeſſe preſto dedignatæ ſunt, ſed ipſa quoque hebdomadarum ſpatia mihi inuito tacita abduxerunt. Rem cape. maiorem in modum placuit amabilis elegia Auguſto Heroe, & Auguſtis penetralibus digniſsima hoſpes, ni cultrix eleganti ſsima eſſet. Non dubitarunt Gratiæ, & Charites hanc Venerem ſub pelagus ſequi, immo noua dulcedine hoſpitii captæ, magis ibi feſtinæ, magiſque pulchræ, concinnæ, decoræ, quàm in Cyprià amœnitate ſyluarum videntur. Hinc cùm mihi repente naſceretur cupido rudibus meis tam elegantibus numeris gratulandi, neque ex animi ſen-

ten-

tentiâ, quicquid ahdiberem induſtriæ,ſuccederet; coactus fui aliâ, & alia initâ occaſione tentandi faciliores muſas experiri. At fruſtra. Hoc tamen, vel inuito earum Numine, qualecumque grati animi, & obſequii pignus à me tibi deuinctiſsimo habe. Clariſsimo Redio officioſiſſimam ex animo ſalutem nuntia. apud Vanninium Vrſinij errorem purga, qui illi conſignandum exemplar alii obtulit. Te breui cum Thyrrena Aula Piſis opperimur, tum profuſius multa loquuturi. Nunc à Belgâ tui obſeruantiſsimo nominis ſalue, & diutiſſimè ſoſpes Vale,

Piſis quarto Idus Octobres 1662.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

ÆMulatrix Diuinitatis humanitas eſt; ut illa neſcit ſpatio, aut limitibus includi, ſic iſta ubi in optimis hominibus inſedit, nec modo, nec fine benefaciendi, deſcribi, nec exhauriri poteſt. Talem in te integerrime Redi, humanitatem experior, qui quotidie de me homine nunquam tibi viſo, nulla exquiſitiore doctrina conſpicuo non ceſſas bene mereri, & etiam aliqua, quæ ſubinde pangimus, rudia, leuia, tuiſq; planè indigna auribus expoſcere. Vereor

ne

ac Vanninius noſter plus ingenuæ amicitię, plus affectui, quàm ſuo malit iudicio tribuere, dum quædam mea extemporanea altiori, quàm re uerà ſunt, loco habeat; ac etiam talia, quæ tibi acutiſſimo arbitro literarum poſſint oſtendi. Quicquid id eſt, tibi, clariſſime Redi, obſequi, tibi obtemperare ſummæ mihi laudi, & gloriæ duco. fieri enim non poteſt, vt is, qui tibi ſemel placuerit, non idemtidem alijs eruditis in Italia hominibus placeat. Luſus meos in Sancti Nerij ædem, quæque de Rainerio viro ſanctiſſimo ſoluta oratione ſcripſi, ita abs te legi velim, vt alicubi ſterilibus numeris, & ſqualenti inertiæ orationis ignoſcas; meque, optime Redi, eum cenſe, qui ſi vnquam aliquem Italorum ob mores, ob doctrinam amaui, ſuſpexi, te illum mihi eſſe vnicum, ac futurum quoad vſque hæc cœli ſpirabilis aura mihi viuo obtinget. Hanc quæſo ingenuam voluntatem cum eximio meo cultu, obſeruantiaque coniunctam agnoſce. Vale.

Piſis tertio Idus Octobris 1662.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Labronem.

NÆ tu multiplice amoris, aut humanitatis tuæ exceſſu peccas, qui ea à me

me flagites cenſeri, quæ vel ipſa fæliciſſima ætas Auguſti omni eximenda cenſuræ proclamaret. Elegos tam dignos, tam Romanæ elegantiæ numeris expletos nuſquam in ſimili argumento aut vidi, aut legi. Iurarent, ſi quis ab Elyſia amœnitate regreſſus daretur, ſeu Tibulli, ſeu Propertij Manes (ita me herculè affirmare auſim) ſe tua libentiſſimè cum ſuis elegis carmina æquè laudanda, æquè admiranda accipere, & in ſpem eiuſdem famæ apud reliquam poſter tatem admittere. Vide nunc ſi aliud à me fieri poſſit, quàm aut humanitatis tuę officia, aut honorem, quo me afficis cenſendi, admirari. Nihil igitur cenſebo, quia nil in elegantiſſimis elegis cenſeri debet, aut poteſt. Sed ni ſummæ, & maximæ voluntati tuæ, toties ac toties repetitæ minus videar obtemperare, bina aut tria dimidiata carmina dum paulò aliter inflexi, multo infælicius, quàm a te erant cantata, recini; & vel nunc me tibi purgandum cape.

Forſan & Heroes ſic conſueuère Pelaſgi
Ad Martem audaces excoluiſſe viros.
Aut hæc inſtituit ſimulati bella Gradiui
Cùm ſemel Alphea Cæſar in vrbe fuit.

Item paulò inferius.

Diuidit & Piſas media pulcherrimus vnda
Arnus, & in partes ſic quoque corda ſecat.

Vale eruditæ ſpes magna Italiæ, & me vt hactenus conſtantiſſimè ama.

Piſis pridie nonas Martias 1663.

Illu-

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
MARIO FLORENTINIO

Lucam

FInchius iam titulo Medici Reginæ Britannicæ honeſtatus ante paucisſimos dies ad profeſsionem Anatomes Piſas redijt. Octauo calendas Februarias in theatro anatomico ſuum in cadauere humano munus auſpicabitur. Inciſio a Tilmanno fiet. Ipſa Vacuna non tam vacua eſt, quàm nunc meæ ædes. Aſtant inania in his ferijs ſupercalibus cubicula, hoſpites noſtri inquilini nonniſi ſacra inchoata eſurie redibunt. Veni quæſo, & quamdiu ſcrutatio humani cadaueris durabit, gratisſimus hoſpes hoc qualicumque tam tuo, quam meo tecto vtere. Scis me a fuco, & officioſa ſpecie offerendi alieniſsimum eſſe. Veni, ſi me Belgicè, id eſt ſeriò loquentem, audis. Immò addam veniendi cauſas. Litteras clariſsimo Præſidi Auunculo meo exaratas habeo, velimque eas tibi prælegere, ac tuæ quoque epiſtolæ aduerſaria ſinè illius hominis Cremonenſis memoria Louanium mittere. At inquies, eas tibi ociſsimè deſtinandas commendauimus? nunc demum quaſi cogitata purgatione Anatomen, Finchij aduentum, inciſionem Tilmanni adhiberi? noſti herclè, quæ ſit hominibus, vbi de re non ſua agitur, ſubindè ſegnities; ſolent cunctanter polliceri, ipſis quoque promiſsis incerta pericula annectere, tum cauſari penè ad

ſolos Batauos longè Louanio diſsitos de mercibus, aut re nummaria commutanda ſcribi. Sic ferè Ægidius. Sed hæc omnia coram vberius. Vidi, legi, & admiratus fui clariſsimi Parentis tui Sylaum, aut potius cœleſtem cuſtodem. Verè Cælites ritè inuocati nobis adſunt, ſæpiuſq; a lethi manifeſto diſcrimine eripiunt. Sicque ego Rainerij viri ſanctiſsimi memoriam multi impetrati beneficij nomine celebrandam ſuſcepi. Dic quæſo Illuſtriſsimo Patri, Brenio, Saminiatio, alijſque amicis officioſiſſimam meo nomine ſalutem. Vale, ſalue, & veni.

Piſis decimo calendas Decembris 1663.

Clariſſimo, Eruditiſſimoq; Viro
LÆVINO DEBBAVT
S. T. Profeſſori Ord. Auunculo ſuo.

Louanium.

NOn potui non maximas, & immortales gratias tuo ſimul in me amori, & humanitati habere, cui placuit exemplaria mea, & ſi ea tanti non ſint, tanti tamen ducere, vt illa cum clariſsimis iſtius Academiæ viris communicanda eſſe putaueris. Ambo Ploegerij, pij ſanè, ac venerabiles in Franciſcana familia viri, mihi ſępè grati animi cauſa retulère, hic dum litteras Germani oſtendit, Germanus dum mihi ſcripſit,

quæ

quæ, & quanta à te Louanij beneficia acceperit, quamque libenti animo auditus ſit, dum de me, meiſque rebus familiariſsimè tecum loqueretur. Eadem nuper amoris erga me tui teſtimonia a Sororio meo Schondragio, & Franciſco fratre ſupremis litteris Louanienſibus accepi; quibus ita innocentiſsimo æſtu redamandi exarſi, vt ſubinde, & ſi me neque Hetruriæ, neque Sereniſsimę Domus Mediceæ pigere poſsit, optem ſtudijs meis Louanienſibus nō alia de cauſa adeſſe, quàm vt te poſsim non affectu ab hac Hetruria proficiſcente, ſed te coram præſentiſsimo cultu obſeruare, coram ipſo vſu, quotidianiſque obſequijs omnia redamandi tui officia cumulatiſsimè exequi; quod nunc tantùm voto, & animo licet, quē te oro vt ita abſentem, ac ſi præſens eſſet, amplectare.

Hieronymus Florentinius Ciuis Patricij ordinis in libero Dominio Lucēſi natus vir, ob ſanctioris doctrinæ famam non huic modò Italiæ, ſed Europæ propemodum vniuerſæ notus, eoque nomine ſummo in primis Pontifici D. N. Alexandro VII. percharus, ipſique Eminentiſsimo Principi Cardinali Bonuiſio Epiſcopo Lucenſi à ſanctiore doctrina, & excipienda confeſsione adlectus miniſter; is nuper libellum de miniſtrando Baptiſmate humanis fœtibus abortiuis, cum pio & ſalutari applauſu legentium, emiſit. Fautum eſt huic tàm ſalutari ſententiæ à plurimis è Theologorum

 ſcho-

ſchola, aliarumque diſciplinarum ſapientiſsimis viris; quin ipſi Eminentiſsimi Principes Cardinales, & ipſa Beatitudo Sanctiſſimi Patris, ac D. N. Alexandri VII. mirificè fauit. Tamen id adhuc reſtare videbatur, vt celeberrimæ orbis Chriſtiani Academiæ eam ſententiam comprobent. ad quas iam ſcriptum eſt. Nunc ad Louanienſem, quæ inter primas, & celeberrimas, prima, & celeberrima eſt, Academiam ſcribit, ſuæque opinionis ita participem facit, vt eã omnibus votis optet ab eximia, & Reuerẽdiſsima facultate Theologica comprobari. Has ego litteras ita tibi commendandas ſuſcepi, commendoque Illuſtriſsimæ facultati exhibendas, vt quaſi de tua in primis pietate, tum ſingulari apud omnes humanitate, tuoque erga me amore confiſus non dubitarim omnia proſpera, & ſecunda, quantũ quidem per te licuerit, clariſsimo Authori Florentinio polliceri. Proinde ſi quid in omni vita a me potuit flagitari, quod mea cauſa libentiſsimè ſuſcipiendum putares, id a te modò quàm maximè, quàm ardentiſsimè flagito, vt quicquid tum authoritate, tum gratia apud Louanienſes vales, valeas in primis nobis, ſuccedatque illius quæ poſtulatur ſententiæ a Principe Academia Europæ comprobatio. Sic Authorem, ſic me, æterno fauore deuinxeris. Salue a me tui obſeruantiſsimo, & amãtiſsimo nominis Nepote. Vale.

Piſis quarto Calendas Februarias 1663.

Il-

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D.
ABBATI STEPHANO GRADI.

Romam.

VT vidi quas dediſti Tilmanno Belgæ litteras, non vna cauſa vir omnium humaniſsime Italorum, obſtupui. Quis hìc beneficæ tuæ indolis exceſſus, vt rogatu alieno tam magna apud ſummum in terris Principem Sanctiſsimum, Euangelicæ legis cuſtodem, pro me tibi ignoto homine officia obires? animus quidem mihi ſemper promptus eſt ſimillimos tui Antiſtites ſumma veneratione proſequi, cultu, & obſeruantia demereri. Sed nihil eiuſmodi re ipſa vnquā pręſtiti; Tu tamē nō deſtitiſti ſola, vt video, bonitate animi, & optima benemerendi de omnibus volūtate, etiā mihi ab omnibus meritis nudo patrocinari. Quo circa non poſſum niſi ſummas, & ſemper manſuras tuæ prodigioſæ benignitati gratias debere; fieri enim non poteſt, vt aliquid par ingentibus tuis meritis a me vnquam rependatur. Animum ergo tui obſeruantiſsimum nominis pro ipſis gratijs tibi perpetuò deuinctum accipe; liceatque cum audace modeſtia, ea, quam gratis dediſti, clientela frui, ac iam meo te nomine precari, vt Beatitudini ſuæ meas litteras cum altero libello exhibere, alterum tibi digneris in mei cultus, amoriſque monumentum accipere. Vtinam te adiutore, clariſsime Gradi (quod & ſumma humanitate, & gratia, qua apud ſummum

Principem vales, perfici poſſe confido) liceret tantulum mihi a Beatitudine ſua obtinere, quod meæ tenuitatem fortunæ ſi non iuuaret, ſaltem aliis multo commendabiliorem Principibus efficeret. Sereniſsimi Magnus Dux Hetruriæ, & Princeps Leopoldus libentiſsimè audiuère, quod me tua opera in Summi Pontificis gratiam induxerit, quæ profectò res tanta apud me eſt, vt nihil mihi in rebus humanis maius eſſe poſſit, neque vlli mortalium penè plus, quàm me tibi debere confitear. At Superi faxint, vt te breui, digniſsime Gradi, in eminentiore gradu poſitàm non ſinè meritæ carmine Purpurę reuerear. quo in voto a nouo cliente ſalue, & ad longè plurima annorum luſtra ſoſpes vale.

Piſis pridie calendas Martias 1663.

Sanctiſſimo Domino Noſtro
ALEXANDRO VII.
Pontifici Optimo Maximo.

E Stephani Gradii litteris, Sanctiſsime humani generis cuſtos Alexander Septime Pontifex Maxime, intellexi, quod is Europæ pacatæ exemplar a me olim Beatitudini tuæ inſcriptum nunc obtulerit, idque Sanctitas tua non modò legere, ſed etiàm viuę vocis oraculo commendare dignata ſit. Quæ res mihi adeo inſperata accidit, vt mixto lætandi, ſtupendique ſenſu, neq; me-

ipſum

ipſum capere prę lætitia, neque prę ſtupore potuerim. Subibat ſacræ humanitatis tuæ fauor; ſubibat illa alta, & maxima dignitas, qua nulla inter homines aut maior, aut altior exiſtit; ſubibat tenuitas mea tã alto beneficio indigna. Quid enim aliud optari potuiſſet, quàm à te ſummo, & maximo in terris Principe, eodemque fœliciſſimo arbitro litterarum, commendari? mihi certè nunc omnium ſtudiorum meorum fructus longè vberrimi obtigiſſe videntur. At quid ego vermiculus terrarũ Domino meo vicariam Numinis poteſtatem gerenti retribuam? Hic abſens animo ſaltem ad Sanctiſſimos pedes prouolutus, cum ſumma demiſſione actis Beatitudini tuæ immortalibus gratiis, vota in primis pro tua diuturna, & incolumi valetudine, & totius tranquillitate Europæ concipiam. Deinde aſsiduis precibus a clementiſsimo Numine flagitabo, vt Sãcroſanctæ Eccleſiæ Romanæ omnia fauſta, omnia ſecunda, & omnia proſpera eueniant; & ſi quid aduerſi impendet, id omne ad delendam Mahometanam Tyrannidem conuertatur. Mitto Sanctitati tuæ poſtquã dediſti ipſa penetralia Sacri Palatii ſubire, reliqua mea poematia, in quibus ſtudui, vt Romanæ Eccleſiæ maieſtas exigit, Sanctos Cœlites decoro, & reuerente ſtylo attollere. Hæc ſinas Tibi a me donari, & mihi a Beatitudine tua peti tuam ſanctam benedictionem. Vale.

Pridie Calendas Martias, 1663.

Clariſſimo, ac Eruditiſſimo Viro D.D.
LÆVINO DEBBAVT
S.T. Profeſſori Ord. Auunculo ſuo.

Louanium.

SVperioribus meis litteris ſcripſi ſyntagma clariſsimi Florentinii ad alias quoque præſtantes Academias Europæ, vt earum comprobaretur iudicio, tranſmiſſum fuiſſe. At nunc ab ipſa Vrbe inuictiſsimi Cæſaris, a celeberrima inquam Academia Viennenſi in Auſtria, ea forma quæ ſibi maximè placuit, comprobationem Florentinius accepit, meque denuo rogauit, vt illius reſcripti aduerſaria tibi quàm ociſsimè fieri poſſet, perferenda Louanium curarem. Sperat enim fore, vt viſa Viennenſis Academiæ cenſura, Illuſtriſsima, ac Reuerendiſsima facultas veſtra Theologica multo facilius, alacriuſque ad ſuę quoque cenſurę gratiam proceſſura ſit; quam profecto rem tanto vehementius, flagrantiuſque Author cupit, quanto ſcit Academiam veſtram omnibus aliis Academiis Europæ glorioſius antecellere, & quaſi communi conſenſu primas tenere. Te verò etiam atque etiam; vt in ſuperioribus feci litteris, oro, obſecroque, vt & huic oſtendendo teſtimonio, totique negotio fœliciſsimè conficiendo pro tua eximia humanitate, tuoque erga me amore diligentiſsimè aſsiſtas. Addam quoq; pauca de me ipſo. Quę mea nuper emiſi poemata, præcipuè Europa pacata Sanctitati Ale-

xan-

xandri VII. Pontificis Optimi Maximi non diſplicuère; Vnde mihi Flauius Cardinalis Chiſius Beatitudinis ſuæ Nepos de prono erga me animo Sũmi Pontificis ſcripſit, quod ipſum exemplar fideliter tranſcriptum eo tibi alacrius mitto, quo id te libentius lecturum eſſe confido. Sororio meo, & Læuinæ Coniugi, Amitæ Viduæ, Canonico Svveuerio, alijſque amicis omnibus officioſiſſimam ſalutem nuntio, tibi verò annos longè plurimos, plurimoſque tum publico, tum priuato bono auguror. Vale.

Piſis decimo tertio Calendas Maias 1663.

STEPHANVS GRADIVS,

Petro Adriano Vanden Broecke.

Piſas.

VIrtus tua, vir clariſſime, & non vulgaris doctrina, quam ego primùm a fama, deinde a reſpondente famæ carminum tuorum elegantia, ac dignitate perſpexeram, amicum tibi me, commodorumq; & ornamentorum tuorum cupidiſſimum effecit. Noui te ſiquidem qua parte notus, & æſtimatus in pretio non haberi, & non amari non potes. Cùm itaque obtemperaui Tilmanno tuo, vt ne paterer ignotum diutius eſſe Sanctiſſimo Pontifici Alexandro obſequium tuum ob inſcriptum eius nomini nobile de pace inter Chriſtianos reconciliata carmen, nihil egi, quo de te magnoperè meritus eſſe videri poſſim; parui namque of-

ficio, quo erga bonas artes, bonarumq; artium cultores omnes aſtringimur; adeoque id mihi ipſi dedi, meo ipſius in colendis, & proferendis decoris ingenijs ſtudio ſum abſecutus. Eo tamen mihi gratior, iucundiorque accidit ſingularis humanitas, qua me in epiſtola tua effuſiſſimi officij plena complecteris, ac præſtas, vt elegantis, & floridi ingenij laudi nihil cedere videatur naturę tuę benignitas, & animi magnitudo. Acceſſit gratiſſimum munus libelli cæterorum tuorum carminum ad me tranſmiſſum duplici exemplo, quorum alterum inter præſtantiſſima quæque optimorum ſcriptorum Cœmilia ſæpe mihi volutandum, fruendumq; repoſui; alterum idem Sanctiſſimus Pontifex accepit, laudauitque, & gratum habuit, vt epiſtola Eminentiſs. Cardinalis Chiſij, quam hic habes, honorificè de te ſcripta declarat. Huius mora paulò diuturnior, in cauſa fuit, ne, vt optabam, ſtatim tuis litteris reſponderem, dum ſine promiſſo tibi Eminentiſs. Cardinalis reſponſo peruenire ad te meam epiſtolam erubeſco. Hoc ab humanitate tua condonari mihi vehementer cupio. Vale, ac Tilmannum ſaluere plurimum à me iube.

Romæ pridie calendas Aprilis 1663.

Illu-

Illuſtri Domino
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE
In Gymnaſio Piſano Eloquentia profeſſori.

Piſas.

ILluſtris Domine. Carmen, quod Sanctiſſimo Domino Noſtro duobus ab hinc annis nuncupatum per Stephanum Abbatem Gradium Sanctitati ſuæ obtuliſti, legit ipſa libenter, & pro filiali tua erga ſe, Sanctamque Sedem obſeruantia, commendauit, neque interim eruditioni, & ingenio muſę tuæ Pontificiæ laudes defuère. Pari deinde paterni animi benignitate excepit libellum tuorum poematum eodem Gradio exhibente vnà cum litteris amoris tui, obſequijque pleniſſimis. Itaque iniunxit mihi Sanctitas ſua, vt Apoſtolicam tibi ſuo nomine benedictionem elargirer, teſtem, ac ſponſorem paternæ ſuæ erga te voluntatis. Quod dũ exequor, meam tibi operam, authoritatemque libentiſsimè offero, cupiens non minus animi tui religionem, quàm ingenij doctrinam aliqua in re demereri, ac fœlicia omnia tibi à Deo auguror, voueoque.

Romæ 14. Martij 1663.

Ad officia

Flauius Cardinalis Chiſius.

Cla:

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN
Magni Ducis Hetruriæ Anatomico.

Florentiam.

HAbes aduerſaria epiſtolę, quā à Principe Flauio Cardinali Chiſio Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII. nepote accepi. Nihil potuit de me honoratius, aut quod magis optarem, reſcribi; ſed nil de aurea effigie, quam tu adeo Abbati Gradio ingerebas; ſpe tamen non excidimus eam denuo nata occaſione tentandi. Mitto Tomanſio illigatum exemplar, & tibi aduerſaria illius, quam ad Pontificem dedi, epiſtolæ. Miro ſtudio eripiendæ mihi prouinciæ ardent competitores, tota paſsim ab ijs obeundo Ciuitas teritur; ſub ortu auroræ, ſub meridie, ſub horis pomeridianis ad comitialium limina deambulatur, ſi qui fiunt obuij, quibus ius ſuffragij eſt, ciues, tum composito in venerationis obſequia decore aditur, cum mellita elegantia vocis, cum gracili, & modico riſu, & alacri lumine oculorum ſalus dicitur, manus manu prenſatur, ac certa, quam eos puto eandem apud omnes eloqui, in petitionem ſuffragiorum formula adhibetur. Non ego tamen puto ciues tam amentes fore, vt ſe iterum velint pollicitationibus vanis duci. Eadem olim iſtis hominibus prouincia commiſſa fuit, ſed ab iis, cùm non haberent qui eruditione, aut doctrina prę̨ſtarent, cito de-

ſerta

ſerta eſt. Neque nunc video quem habeât in Italia hominem, cum quo ego componi non poſsim. Tu me iſtinc de rebus omnibus certiorem redde. De verſicul s tuis cògito; ſi mora tibi moleſta eſt, properabo. Vale, & me ama.

Piſis pridie Calendas Maias 1663.

Præſtantiſſimo, Clariſſimoque Viro
VINCENTIO GLARIA
è Soc. Ieſu.

Florentiam.

IN ipſo ſtatim limine, ignoti hominis manum, litteras, audaciam ſimul admirabere, & fortaſſe vbi habeam frontem rogabis, qui tibi ſic improuiſus, nulla amici hominis commendatione inſinuatus obrepam? dicam quod eſt, integerrimè, Glari. Omnis mea temeritas, ſi eo nomine honeſta tuæ amicitiæ ambitio cenſeri poteſt, tuæ in primis eximiæ doctrinæ, tum ſingulari erga omnes humanitati imputanda eſt. quæ vtraque te iam pridem tota Italia celebrem effecere; proinde admirationi locus eſſe vlterior non poteſt, ſi ego, & nominis tui celebritate, & mira integritate animi prouocatus, ambiam tibi in primis cultiſsimo Romanæ eloquentiæ vindici innoteſcere, aditumque mihi ad tuæ limina amicitiæ aperire, quam mihi tacitè tua bonitas polliceri vi-

ceri videtur. Addam quoque cauſas, quas bona ſors obtulit; Ædibus meis, conuictuque vtitur, qui ſub tua nuper diſciplina eloquentiæ præcepta audiuit, proba ſanè, & egregia indole iuuenis Franciſcus Roſſellius; is nunc ad vos proficiſcitur, ſuſcepitque ſua quoque opera effecturum, vt tuæ facilius notitiæ, vtinam & amori, inſinuer. Ne verò ad te nudus, & inanis accedam, hoc tenue, & exile munus, mea inquam poematia, in obſeruantiæ meæ, meique monumentum amoris libens cape, & ſi ita viſum eſt libērius lege, & ignoſce vbi ignoſci poterit. Deus Opt. Max. te publico bono litterarum diutiſsimè incolumen ſeruet, ac a me tui obſeruantiſsimo nominis ſalue, & Vale.

Piſis vi. calendas Maias 1663.

Præſtantiſſimo, Clariſſimoque Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Vincentius Glaria è Soc. Ieſu.

Piſas.

IBat in occaſum dies, cùm luculenta tam clari capitis affulſit epiſtola; legi, dilexi, oculis, oſcul iſque hauſi multò ſuauiſſimam. Quot in illa Charites! quem Paridem non feciſſet Helena tam pudica? In ipſo ſtatim limine ſum admiratus, non hominis ignoti manum, litteras, audaciam (quod Belgicæ

mo-

modeſtiæ pudor iſte ſanctè mentitur) ſed ſtylum, elegantiam, humanitatem ſuſpexi; Quid mihi te hominem ignotum obtrudis? Eminentes viri latère non poſſunt. Cui te non produnt ingenij tui lumina tam multa, tam didita? Noui te de fama, quam operum tuorum auget præſentia. Nihil erat in cauſa, cur me tuarum honore litterarum dignareris, niſi, vt quam impreſſam in præcordijs opinionem de te gero, expreſſam haberes in litteris. Quò minor eſſe debuit honor in me tuus, eo maior eſt amor in te meus. Hunc debeo Belgis amantiſſimis,& meum ad ingenium vnicè factis. Eorum vni acceptum refero litteraturæ meæ cenſum: qualis qualis ille demum ſit libelli tui meditatione ſuccreſcet. In eo placét omnia; omnium maximè carminum argumentum, character, & nitor; Affecit hominem Tiburtem ciuis Albunea; Patria Tiburtinorum Tempe vellicarunt aliqua titillatione beati loci memoriam. In Venere triumphata quot Veneres pugna'nt! Niuibus Exquilinis euolutis cū Iobo dixi; Nunquid ingreſſus es theſauros niuis? Quid plura? His eloquentiæ candidatis erit exemplo libellus dono miſſus, vt diſcant in vno collecta, quæ diuiſa reliquos efficiunt Muſis gratioſiſſimos. Amarunt Superi Franciſcū Roſſellium indolis egregiæ iuuenem, cui tuarum ædium Muſæum, & Sacrarium aperuerunt ad laudem, & Religionem; Quē inſtitutio mea iam auditorem habuit, tua

ma-

magiſtrum efficiet. Gratias egi ferenti munus numerorum omnium, & elegantiarum: Appolline dignum eſt, & Mecœnate, qualem in Leopoldo Principe regium adlegiſti. Donatori nunc, & Auctori ago gratias, & carminum apicibus lōgè plures habeo. liber Hermathenæ publicæ debebatur, non cellulæ doctis negatæ. Meam Picam vt erudiat Muſa recentior, nidum habebit inter codices mihi antiquiores; terent digiti, terent ſuauia. Ne te venerer illiberalis omnino, en mari guttam refundo; libro paginam: Quem heri nouiſſimum, & reiiciendum in vltima meus agellus effudit funguin, Muſarum conuiuæ ſapientiſſimo guſtum remitto: Ne ſtomachum creet, ſalem tuum inſperges. Non Leonem ex vngue, ſed Mirmicoleonem agnoſces; ignoſces tamen, & quidquid illud eſt obſequio dabis in te meo, non honori, quem afferre non poſſum: alienæ ſtuduit amicitiæ, adrepit tuæ; cùm obtinget, me Cœlum tetigiſſe crediderim. Serus in illud redeas, d: uque ſoſpes interſis Poetarum Senatui. Salutatos, & cultos a me plurimum velim Ceſſinios duos, Chimentellium, & Sergriphium, inclyta ſapientiæ Florentinæ nomina. Tu verò Vandenbrocki ſuauiſsime, te ſerua Muſarum bono, & ſi quis meæ tenuitatis eſt vſus, obſequentiſſimum habe, ac vale.

Florentiæ v. Non. Maias 1663.

Cla-

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO
Florentiam.

NVnc ſi quãdo aliàs tua ope ſummopere indigemus. Hodie pomeridianis horis decimotertio quintilis in publicis Comitiis Piſarum cùm hinc à patribus Barnabitis, hinc à me confirmanda peteretur publica humanitatis profeſsio, collectis demũ ſuffragiis apparuit in vtraque parte competitorum planè eadem ſuffragiorum æqualitas, idemque numerus fauentium notarum. Nũc tota res ſolo ſuffragio Sereniſsimi Magni Ducis dirimenda eſt, cuique ſua Celſitudo parti fauerit, eidem publica prouincia docendi obtinget. Vide, obſecro, quàm tibi campus ampliſsimus pateat, qui fortaſſe nunquam offeretur, de me optimè, ac maximè mærendi. Adi quæſo nulla interpoſita mora ipſam Celſitudinem, à cuius ſingulari pietate omnia mihi proſpera ſpero, vt mihi priori hoc ſuum ſuffragium oranti dignetur pro ſua clementia fauere, vt illi, qui optimè ſemper ſuo functus eſt munere, neque vlla precibus, promiſsis, aut gratia a quoquam ſuffragia emendicauit, vt ab aliis competitoribus palam factum eſt. Miſiſſem ipſa acta comitiorum, ſi ea a comitiali ſcriba haberi potuiſſent. Reſcribe quęſo cum hoc homine ad conficiendum celerrimè nocturnum iter conducto, & qua hora aduenerit nuntia. Vale, & tui amantẽ, vt facis, ama.

Piſis decimo tertio Calendas quintilis 1663.

Clariſſimo Viro
ODOARDO TOMANSIO

Florentiam.

NOn opus fuit cum amiciſsimo tibi homine, ſi quid poſsim, ea vti dilatione petendi. Neſcis me gratiæ, fauoriſq; maximi loco habere, cùm aliquid à te, tuique ſimilibus honeſtiſsimis viris imperatur? At boni Superi! quæ tu in me, meaſq; lucubrationes præconia ingeris, cùm a tuo proficiſci iudicio non poſsint, vt ea legere erubeſco, ita vt à tuo poſsint amore, eximioq; erga me affectu procedere, libẽtiſsimè amplector, iiſque quaſi honeſtiſsimo ſtimulo vtar, vt ad eam famæ metam, quam me nedum attigiſſe ſcio, poſsim aliquando peruenire. A Tilmanno de rerum mearum ſtatu te credo omnia accepiſſe. Nunc verò quantum à me humanitati, beneuolentiæq; tuæ tribuatur accipe, cui non meo ſolùm, ſed alieno quoquè nomine moleſtus ſim. Meam in primis ampliſsimo Auditori Zenobio, tum Magronii quoque eruditiſsimi iuuenis cauſam commendatiſsimam velim. Huic decem in equeſtribus comitiis proſpera fauentibus notis ſuffragia obtigère. meretur optimus iuuenis ſingulari tum ingenio, tum modeſtia præditus, vt ſibi à Magno Duce, & ampliſsimo Auditore faueatur. Tuam obſecro operam, tua in primis bonitate, tum mea quoque cauſa in hanc rem fœliciter conficiendam adhibe; ſic me, ſic illum tibi

per-

perpetuò deuinxeris. Vale, & me tui cultorem nominis ama.

Piſis tertio nonas quintilis 1663.

Illuſtriſs. Ampliſſimoque Viro
PETRO FRANCISCO
MARCHIONI VITELLIO.

Florentiam.

SOlent viri maximi gratiam,ſtudia, fauorem non a recipientium merito, ſed à propria magnitudine animi metiri, qui ſe vltrò in bonos liberaliter effundat, neſciatq; non eò ferri, quò cauſæ æquitas feratur. Quod ego in primis in te experior Illuſtriſſime aduenarum Patrone; nam quid ego antea merui? nil. Quid itaque ignoto homini ſic ſpontè, ſic beneuolè fauere voluiſti? ea ſcilicet magnanima bonitas eſt, tuæ olim clariſsimæ genti inſita, quę ſiuè in toga,ſiuè in ſago preclara magni nominis monumenta apud poſteros reliquit. Non recino quid annales de bello Belgico dicant. Magni illius Vitellii militare decus, ſæpiuſque partam ſecundo præliorum euentu gloriam viua adhuc in pectoribus Belgarum memoria nulli vnquam poſterorum obliuioni permittit. Sed hæc aliquando tempus iuſto includendi panegyrico erit. Nunc ſolas immortales gratias pro iſta tua optima non ſolùm iuuandi in æquiſsima cauſa,ſed tuen-

di

di quoque mei in aduerſis rebus voluntate aſſerimus: teque pro tua ſingulari integritate, & ſumma, qua apud Magnum Ducem gratia, & authoritate vales, quàm maximè oro, obteſtorq; vt ſi ego cauſa prænaleam, ipſo quoq; effectu aduerſus competitores meos prænaleam, neque mihi noceat quæ totius Religiosæ Congregationis vmbra obtenditur. Iam in meis ad Tilmannum litteris ea de re egi, & mihi Sanctitas Alexandri VII. (ne videar alicui priuato homini ex ea tota Congregatione inferior) ſcripſit, laudem habuit, ſuam Apoſtolicam benedictionem cum teſtimonio propenſæ erga me voluntatis elargita fuit. Tu verò Illuſtriſſime Domine, eximium Italiæ decus, me deinceps in tuis eſſe clientibus ſinas, & vale ſoſpes ad eam, quæ longiſſima ſit, ætatem.

Piſis pridie nonas quintilis 1663.

Clariſſimo Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Petrus Andreas Forzonius.

Piſas.

SVmma cum admiratione cultiſſimę litteræ tuæ ad Vitellium recitatæ frequentiſſimo Aulico Coetu aſtante, ſæpius laudes, & plauſus excitante. Mirificè omnes te amant,

amant, omnes te multi, immò plus quàm plurimi faciunt, & præcipuè Marchiones Vitellius, & Corſinius de te magnificè ſentiunt, &.omnem opem, & ſpem pollicentur. Hàc die ego Senatorem Michelozzium allocutus ſum, qui & ſi hactenus acta ignoret, ſe tamen tibi fauere velle, ac te tueri profitetur, laudes & ille liberales in te congerit. Excuſa (mi Petre) ſi ita feſtinato impetu ſcribo; aulicis enim, & familiaribus negotijs impeditus tempus impendere non poſſum vt cultius ſcribam. Aliqua in natalem Auguſti Ferdinandi luſimus, quæ ad te proximè mittemus. Caſtiga, & ingenuè dic quid de ijs ſentias. Vale, & me ama, ac tui amantem, & addictiſſimum eximiæ tuæ virtuti crede. Quæ Vitellius tuis reſpondet habes annexa. iterum vale.

Florentiæ decimo quinto quintilis 1663.

Illuſtriſſimo, Ampliſſimoq; Viro
BARTHOLOMÆO
MARCHIONI CORSINIO.

Florentiam.

QVę mihi ante moleſtiſſima iniuria vt ab hominibus ingratis oblata videbatur, nunc ea ipſa incipit non modò lenior videri, ſed, vnde me erigam, confirmemque magis, materiam præbuiſſe. At inquies, tua te magis confirment damna? Sic puto.

Illa, ò ingentis Hetruriæ ingens decus Corſini, tuam in primis humanitatem ſolita humanitate hominum maiorem impulère, vt de me homine aduena, ignoto, peregrino, nullis antecedentibus meritis commendabili, iuuando, tuendoque cogitares, immò ſingulari patrocinio, tuaque apud Magnum Hetruriæ Auguſtum commendatione dignum putaueris. Quid hìc tibi pro tam rara, tam prona, tamque certa de me benemerendi voluntate reponam? Promiſſa immortalitas gratiarum leue eſt nomen. par rependere tenuis obſcuritàs mea nõ poteſt. Animum itaque meum nullo elegantiarum amictu veſtitum, ſed nudum cum ingenuo amore, cum ſingulari cultu, perpetuaque obſeruantia, velut obſidem pro me ipſo cape. Sique aliquibus adhuc annis(valetudine incerta Illuſtriſſime Marchio vtimur) supereſſe continget, ſiuè in hac Hetruria, ſiuè vbicumque terrarum ſim, nunquam animo meo Domus Corſinia excidet, neque ſic ætas mihi reliqua elabetur, vt non aliquid, ſed vtinam apud poſteros manſurum, de te, tuiſque immortalibus meritis emoliar. A me nouo quidem cliente, ſed peruetere tuæ ſummæ exiſtimationis cultore ſalue vir maxime, laus inclyta Hetruriæ, & tam diu vale

Soſpes, vt Euboici tranſcendas pulueris annos.

Piſis quarto idus quintilis 1663.

Cla-

Clariſſimo, Ornatiſſimoque Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE BELGÆ.

Bartholomæus Corſinius.

Piſas.

EPiſtolam tuam non ſinè magna animi voluptate perlegi; ex ea enim cognoui deferbuiſſe nonnihil maleuolentiſſimorum hominum audaciam, & breui futurum, vt voti compos fias. Agnoſcent(mihi crede)obtrectatores iſti virtutē & dignitatē tuā, quæ præ cæteris erexerunt animum meum, vt quantum in me eſſet tibi quàm maximè conſultum vellem, tuaſque partes libentiſſimè ſuſciperem; eaque propter egi apud Sereniſſimum Magnū Hetruriæ Ducem Dominum meum cauſam tuam pro eo ac debui, cui eruditionem, modeſtiamque tuam, & præclarum erudiendæ iuuentutis inſtitutum, cæterąq; Vrbis iſtius commoda, quæ tibi vni accepta referre debet, volui eſſe perſpecta; de cuius clementia, ac benignitate confido rem hanc omnem optimum exitum habituram; quod vt fœciliter eueniat nullum relinquam eiuſdem efflagitandi locum. De cætero quantū à me proficiſci poteſt nulla re deero, quæ vel ad tuendam, vel amplificandam dignitatem tuam pertinere videatur. Vtinā vt gratificandi ſtudio, ita viribus par eſſe poſſim exórnandæ virtuti tuæ, quod vt aliquando

accidat mirum quantum cupio. vale.

Florentiæ 11. cal endas ſextilis 1663.

Eruditiſs. ac præſtantiſs. Viro
LAVRENTIO ADRIANIO SVO.

Campum Maiorem.

NEſcis quanta nos rerum aduerſarum colluuie, non dico opprimamur, didici enim animo in aduerſis conſtare, ſed ſanè moleſtiſſimè vexemur. Quid me inquis in veſtibulo tuarum percellis? malim læta, ſecunda, & proſpera audire? ego ſcribere. Rem cape. Quidā hic religioſi homines, de quibus ego nunquam deſtiti, ſeu cultu, ſeu obſeruantia mea, ſeu donis etiam elargitis benemereri, nunc & munerum meorum, & omnis humanitatis meæ obliti, iam a totis ſeptem menſibus nil aliud ſummis ſtudijs, miro ambitu, miriſque pollicendi omnia lenocinijs egerunt, quàm vt a tota poſſint ciuitate in meam prouinciam, munuſque publicum adlegi. Quæ res adeo proceſſit, vt decimo ſecundo cal. quintilis in publicis comitijs, cùm ego meum munus retinere, illi eripere ſtuderent, conſequuta ſit ſuffragiorum paritas; adeoque res omnis ſit Sereniſſimo ſuffragio Principis dirimenda. At ſua Celſitudo cum integram nollet Religionem mihi homini priuato poſtponere, rem rurſus in noua de me, iiſque hominibus comitia

mitia habenda remiſit. Tota ferè Nobilitas Florentina (vtinam ſic Piſana) nobis ſauet; neque nunc animo excidimus, ſi enim illi, qui ſemel fauerint, ſuo mihi ſuffragio conſtent, videor facilè competitores quatuor aut quinque ſuffragijs ſuperaturus eſſe. Gaſparinio, & Nerio, optimis, integerrimiſq; iuuenibus, perofficioſam meo nomine ſalutem. Tu, cũ per autumni vacationes licebit, vtcumque res mea caſura eſt, huc ad Arni ripam concede. Stipulationis meæ Piſanæ ſpatia ipſas idus Aprilis anni proximè inſequentis attingunt. Salue à tui ſtudioſo & amante Belga, & vale ad alia multo maiora, tuæque debita ſingulari virtuti munia diutiſſimè ſoſpes.

Piſis decimoquinto calendas ſextilis 1663.

Clariſſimo, Præſtantiſſimoque Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO

Florentiam.

HÆc ante omnia edico, vt nihil hìc neceſſitudini, amori, aut affectui dari exiſtimes, dum tua ingenue, & liberè cenſemus. Alta in primis, & auguſto natali digniſſima inuentio eſt. A quo enim Princeps, qui moderãdo imperio terrarum par ſit, dignius celebretur, quàm à Ciue ſuo Americo, qui terras omnes, & ignota Romanis nauibus maria circumuectus, primus mun-

dum in mundo latentem non ſinè tyrrhenæ magnitudinis omine deprehendit? Stylus vniuerſus floridè decorus, plenus iudicij, & ſolida vbique elegantia munitus. Numeri ipſi priſcas Veneres, & nulli obnoxios fuco lepores ſpirant, vegeti, & robuſta ſuauitate amabiles, & vno verbo Romani, ipſoque aureo Octauiani ſæculo digniſſimi. Elegia cũ hìc in publica Academia a Gualandio clariſſimis natalibus iuvene legeretur, cum ſumma omnium attentione audita fuit, & non ſinè maximo, & ſingulari plauſu dilaudata. Inuocatio nimis crebra non fuit. Iouianus, illa altera Siren Parthenopea, vnà mecum teſtatur Heroes, eximiaque probitate homines, ſuas ſubindè cum elogio laudes celebrare. At herclè quæ tu de me in Hetruſca, ideſt florentiſſima Italiæ aula, prædicas? à te enim fonte, & origine omnes iſtæ laudes, quibus ego me ſcio indigniſſimum eſſe, dimanant. Vide, obſecro, ne plus mihi oneris, quàm ego ferre poſsim, imponas, neuè maiorem viribus meis expectationem concites, quàm ego apud Hetruſcos Proceres omnium diſciplinarum arbitros queam ſuſtinere. Rebus meis tuẽdis, vt diligentiſsimè facis, pro tua ſingulari erga me beneuolentia, & humanitate ſic deinceps operam tuam impende, vt tibi in primis, quoſque mihi conciliaſti Proceribus, hanc laudem ſuperatis competitoribus meis debeam, meque ipſum tibi perpetuò deuinctum habeas. Eques Liſcius

Vo-

Volaterris abeſt. Pleroſque Comitiales Ciues adiui, ſuaque mihi ſuffragia, ſi eo res relaberetur, polliciti ſunt. Proceribus cultum, Clariſsimo Michelozzio mille & mille pro tam prono in me animo gratias nuntia. Vale, meque tu amantem redama.

Piſis ſexto calendas ſextilis 1663.

IOANNI BAPTISTÆ ORSVCCIO Nobili Lucenſi.

Lucam.

Litteræ tuæ toto octiduo ſerius redditæ ſunt, & in grauiſsimas meas occupationes, quibus permoleſtè afficimur, inciderunt. Lis enim mihi cum ijs ipſis hominibus, cum quibus ipſe Antiſtes coniunctiſſimè vixit, difficillima intercedit; quæque me ſibi ita totum vindicat, ac nunc etiam detinet, vt vix poſt eos, quibus quotidiè premimur, labores id tantulum tēporis ſuperſit, quod exarandis aliò & aliò litteris impendam. Præterea ex munere noſtro publico poſt idus ſextilis aliquid publicè in Sacra Baſilica Piſarum orari ſolet. Vide nunc quàm alieno tempore & tuas miſeris, & ego queam apud te iuſtiſsimè purgari? At poſt Amitæ Olimpiæ aliàs ſubmiſiſti querulas, ſubacerbas; eas vidi, & legi, & aliquid præpro peræ tuæ cupiditati concedendum eſſe putaui. Habes inſcriptionem latinè

tinè elegantiſsimè redditam à Ceſtio Volaterrano, homine ipſi Antiſtiti Octauio amiciſsimo, & à rarioris ingenij elegantia optimè noto. Placebit procul dubio ipſi Illuſtriſsimo Boldonio tam pura, tam nitida, & Romana tuæ gentis inſcriptio, quam tali nomine libentiſsimè vulgandam curabit. Saminiatio, amiciſque omnibus amorem, ac ſalutem nuntia. Tu verò, Clariſsime Orſucci, tui obſeruantem nominis Belgam ama, & fœlix, ac ſoſpes diutiſsimè vale.

Piſis quarto calendas ſextilis 1663.

Illuſtriſs. & Clariſs. Viro
ANTONIO MICHELOZZIO
Dominij Florentini primo Nouemviro.

Florentiam.

TIbi nuper cùm legatione Romana præclariſsimè obita ad Magnum Hetruriæ Ducem, tuoſque ciues cum ampliſsima laude redires, cogitatione quidem, ac animo gratulabar; nunc verò cùm crebra aliorum gratulatio deferbuit, meam quoquè, & ſi vltimam loco, non vltimam affectu, gratulationem affero; gaudeoque immortaliter tuis quotidiè ſummis virtutibus, ſummiſq; laudibus ſummæ quoque gloriæ acceſsionem fieri. Sed hæc publicè tibi ab omnibus debentur, qui ex tui nutu Principis publicæ

blicæ omnium vtilitati, commodiſque cũ æquiſsima authoritate proſpicis. De me verò homine priuato nullis meritis inſignito quid dicam? quid de admiranda humanitate tua? quid de ſingulari beneuolentia, ac tam prona tuendi mei voluntate, ſuſceptoque gratuito patrocinio eloquar? quas grates rependam? Scio omnia minora futura eſſe, quæ cogitatione aſſequar, quæ voce exprimere, aut factis queam oſtendere. At ſcio quoque, vir ampliſsime, a te nil aliud exigi, quàm vt grati animi memoria in ijs, quibus faues, hominibus remaneat; tuamque à te tibi pro gratijs, pro præmijs bonitatem vindicari, quæ in tua mente integerrima, vt in ſpecula æquiratis, excubias agit, vigilatque, vt ſua omnibus commoda, fortunæque aduerſus ſpecioſas inuadentium fraudes ſarta, tecta, ac integra conſtent. Huic me tuæ bonitati totum ſubmitto, committoque; ab ea enim ſpero fore, vt quicquid mihi deinceps, ſeu commodi, ſeu vtilis, ſeu iucundi acciderit, id tibi omne, quamdiu in viuis eſſe contigerit, debeam. Salue clariſsimum tuæ Hetruriæ, & Italiæ decus Michelozzi, meque ò arbiter æquitatis hac ſi victorem cauſa effeceris, animoſè conabor

Te ſuper ingenti deducere ſydera verſu.

Vale.

Piſis idibus ſextilis 1663.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Comiti
HIERONYMO RABATTA.

Florentiam.

BEnignitas vbi ſumma eſt ſe ipſam prono erga omnes affectu accendit, neſcitq; vbi hoſpita eſt, humani pectoris anguſtijs capi, ſed ſuis latiſſimè meritis euagatur, vbique beneficia, non quod meruère qui accipiant, ſed quia ipſa bona eſt, tam ignotis hominibus, quàm notis ſpargit. Cuius ego rei fidem in te ipſo, Ampliſſime Comes, ò rarum huius æui decus, experior, qui me (ſic enim ab amiciſſimis meis quotidiè nunciatur) hominem aduenam, peregrinum, longiſſimè ab Italia natum, quem nulla merita comitentur, nulla gratia commendet, nulla denique doctrina exornet, ſic ſpontè tuendum ſuſcepiſti, tua quoquè apud Auguſtam Celſitudinem Ferdinandi iuuandum duxiſti. Quid ego hîc ſubnecto? ſummas, maximas, & immortales gratias? dumque par pari rependi non poteſt, me tibi deuinctiſſimum viuere? animum verò perpetuò obnoxium fore? hæc quidem omnia debebo, ſed quod tua maximè bonitas meretur, maximè efficiam, ideſt aſſiduis precibus à Summo, Maximoque Numine efflagitabo, vt te diutiſſimè ſoſpitem velit, tuaque omnia, quę nō niſi optima habes, deſideria fortunet. Scio te nihil amplius à me cupere, neque tibi amplius à me optari poſſe. Quam porrò defenſandi mei voluntatem cæpiſti,

eam

eam mihi pro ſingulari tua bonitate ſic retine, vt ſecundos rerum mearum euentus tibi perpetuò poſsim meo maximo adiutori, maximoque patrono debere. Vale Comes multò optime, ac integerrime; & ſi ſinis, à nouo clente tui nominis cultore eximio ſalue.

Piſis decimo primo calendas Septembr. 1663.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

PRolixius apud te ſilui, Clariſsime Redi, non quod non ſcribere cupidiſsimè ſemper optarim, ſed cùm te ſcirem tot, ac tanta mihi denuò officia præſtitiſſe, ipſa verba defuerint, quibus tuæ maximæ poſſim reſpondere humanitati; & nunc herclè deſint, ſi ea velim ſecundùm tua ſumma, & maxima merita vſurpare; nam omnia inferiora erunt, quæ loquar, ſi te in primis adeò beneficum cum me ipſo ab omnibus meritis nudo contulerim. Tamen cùm tacere non poſsim, niſi velim ingratiſsimi hominis nota inſigniri, gratias tibi quas poſſum multò maximas habeo; amorem, cultumque officioſiſsimè defero; animumque in ipſis ſimulacris litterarum tanquam in viua imagine expreſſum tibi perpetuò obnoxium reddo. Te verò etiam atque

etiam orabo, vt cui ſemel patrocinari cauſæ cæpiſti, eidem porrò pro tua ſingulari humanitate ita velis fauere; vt quemadmodum æquitate cauſæ vinco, Magni quoque Ducis oraculo vincam. Ignoſce quæſo tenuitati elegorum, quos te iam puto a Tilmanno accepiſſe. Scis enim ſi læta tranquillitas animi abeſt, Muſas quoque abeſſe, nec poſſe aliquid cum venuſtate, aut graria edi, quod nullæ antea Veneres, aut Charites aſpexere. Tamen in mei monumentum amoris id libens habe,& à me tui obſeruantiſsimò nominis, cultiſsime Redi, gemini Phœbi geminum decus, ſalue, & viuendo Neſtora vince. Vale.

Piſis decimo primo calendas Septēbres 1663.

Præſtanti, ac Eruditiſſimo Domino
IO. VINCENTIO ELICI
E Soc. Ieſu.

Piſtorium.

LItteræ tuæ humaniſsimæ ita mihi gratę fuere, vt nihil eſſe gratius potuerit. Quid enim aliud à me optari poſſet, quàm ab optimis ingenuo affectu amari, meumque laborem, cùm ſub me olim humanitatis præcepta audiſti, in tuo tam grato, tamque memori animo remanſiſſe? Quid ego tibi tam ingenuè amanti rependam? meam quoquè ingenuitatem amandi, af-

fe-

fectui affectum repono ; quamque de me-teneſ memoriæ, meam quoque, quam de te ſeruo, ſeruaboque deinceps, grata viciſsitudine officij memoriam adiungo. Quod verò de me vbique honorificè ſentis, & loqueris, gratias habeo immortales. Quòd tuam ſingularem doctrinam præ demiſſa moderatione animi extenuas, eamque mixi acceptam refers, ni hil ego præter tuum affectum agnoſco ; non debes enim optimi ingenij tui fœlicitatem, quam ſemper acre iudicium comitabatur, à te ipſo in alios transfundere. Gaudeo te in iſta nobiliſsima Ciuitate grammaticen profiteri, quod munus cum ſumma tua laude, & ſingulari iuuentutis progreſſu te iam obire, & deinceps obiturum præclariſsimè ſcio. Te ſub nonas Octobres vnà cum Belga cum incredibili deſiderio opperimur ; Venite gratiſsimi hoſpites, & hoc qualicumque tecto vt veſtro vtimini. Quam nuper elegiam, dum Virgo aſſumeretur, vulgauimus, verſus ſenarios de clariſſimo Boſsio habes. Salutem Superioribus tuis meo nomine multò officioſiſsimam nuntia. Vale diutiſsimè ſoſpes, & me tui amantiſsimum ama.

Piſis nonis Septembribus 1663.

Clariſſimo, ac Illuſtriſſimo Viro
MARIO FLORENTINIO

Lucam.

GElidam è fonte ſpinæ, quæ omnium leuiſsima habetur, hauriendam curauimus; merum album prædulce è taberna vinaria apud pontem habuimus. Quòd tibi potuerim obſequi gratum fuit, etſi in obſequendi cauſa voluiſſem lætiori argumento meam tibi operam libentiſsimè impendere. Minus ſecunda valetudo clariſsimi Parentis tui mihi quoquè mœrori fuit; ſed, vti fore confido, mihi te breui lætum in reſtaurata priſtina valetudine Patris nuntiabis. De me, meiſque competitoribus hinc media, & hinc media ciuitas acerrimè contendit; reſque ipſa in noua comitia relabitur, quæ iam proximè nouis ſuffragijs comitialium decernenda erit. Aueo valdè ſcire num nouitas aliqua reſponſi è Belgio ſit. Cultum meum, obſeruantiamque Parenti tuo nuntia, cui nouam valetudinem cum longa, & diuturna incolumitate a Deo opto, voueoque. Vale.

Piſis octauo idus Septembres 1663.

Cla,

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN
Magni Ducis Hetruriæ Anatomico.

Florentiam.

SI ſui aliqua itinera tabellariorũ ſinè meis ad te litteris confici, nè abſque ſecundo rerum mearûm euentu cogerer denuo in vetera tibi notiſsima conquerendi argumenta relabi; ideſt ciuium comitialium limina ſolitis aduerſariorum precibus perſtrepere, ſummoſque conatus, vt in vltimo conflictu ſolet, in ſuam rem augendam, meam verò penitus diſſoluendam adhiberi. At nunc Deo Optimo Maximo, qui & bona omnia largitur, & æquitatem cuſtodit, debitas in primis cum ſumma demiſsione animi gratias habeo. Decimo quinto calendas Octobres cùm mea competitorumq; res in publicis comitijs Piſanis ageretur, varijſq; fauentium, & refragantium ſtudijs eſſet certatum, tandem collectis ſuffragantium calculis vndecim planè ſuffragiis aduerſarios vici. Nouem & quadraginta comitiales adfuere, tota mihi prouincia cum veteri ſtipendio in aliud triennium remãſit. Primores, ſi vnquam aliàs, nũc ſanè maximè cum officioſiſsima ſalute reuereor. Amorẽ, cultum clariſsimo Redio, Forzonioque nuntia, quibus vel nunc quoquè ſi paulò firmior valetudo eſſet, quæ vt noſti vacillat ſemper, libentiſsimè ſcripſiſſem. Leonellium hic Piſis vidi, qui manè quadriga ad vos reue-

ctus

ctus eſt. Vale, & me ama, qui te amo.

Piſis decimo tertio Calendas Octob. 1663.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN
Magni Ducis Hetruriæ Anotomico.

Florentiam.

LEntè, & languidè conualeſcimus. Infeſtiſſima febre, duplice, vt aiunt, tertiana, tertio idus Octobres caruimus. Si me videndi copia ſit, iures me ex aliquo apud manes ſepulchro prodijſſe, adeo elangui, & ipſo penè aſpectu in cadauer abij. Quòd rei meæ operam tuam diligentiſſimè impēdis, ita gratum eſt, vt nil à te gratius poſſim accipere. Roſſellum ad Calendas Nouēbres opperimur. Clariſſimis Redio, Forzonioque ex toto animo officioſiſſimam ſalutem nuntia; hanc quoque cum omni cultu, & obſequio Proceribus patronis ſignifica... Scribam aliquantò vberius cùm morbi reliquias depulero. Probæ, & ingenuæ indolis adoleſcens Vercaſſonius te ſalutat; gratiaſque habet ob elegantiſſimas, quas ad ſe dediſti, litteras. Vale, & me vt ſoles ama.

Piſis nono calendas Nouembris 1663.

Clariſſimo Viro
FRIDERICO VERNACCI
Nobili Florentino.

Rus Creſpinum.

QVàm ſerò tuis ad me humaniſſimè ſcriptis reſpondeo? noſti opinor è litteris Vrſinij aduerſæ valetudinis incommoda obſtitiſſe, neq; homini moleſtiſſima febre ad mœrorem lectuli condemnato integrũ fuiſſe tempeſtiua viciſſitudine officij defungi. Hæc itaque nunc accipe. Litterarij adiutoris locus adhuc vacat; ſique is, quem mihi officioſiſſimè commendaſti, talis eſt, qualem eſſe prædicas, & ego ex tua ſingulari fide, & authoritate exiſtimo, eum multis aliis competitoribus facilè anteponam, vt vel indè cognoſcat, quanti ego te ſemper fecerim, quantumque tuæ eximiæ erga me humanitati, beneuolentiæque deferendum eſſe putarim. Quæ aliis ante hac ſtipendia dedimus, ei, & fortaſſe aliquid amplius dabimus, ſi quid meis ſtipendiis à munificentiſſimo Principe accedat. Dic pręterea illi optimo viro, ſi diligentiam, & ſedulitatem attulerit, nunquam fore, vt de mea, aut humanitate, aut liberalitate conqueratur. Velim vt hinc ociſſimè ſe conferat, vt & cauſa querendi iam victis aduerſariis, & os inuidis hominibus obſtruatur. Vale.

Piſis tertio nonas Nouembris 1663.

Clariſſimo Viro
DOMINICO SCHIPPISI
Iuris Vtriuſque Doctori.

Florentiam.

DVm quotidie aliquid in natalem Sereniſſimi Principis Hetruriæ molirer, neque ea res, ſeu nedum confirmatę valetudinis cauſa, ſeu iam hebete facilitate pangendi, ſuccederet, factum eſt, vt mea quoque celerius reſpondendi officia prorogarentur, cùm meas litteras, ſi ſinè aliquo luſu mitterentur, ſubfrigidas fore exiſtimarem. Boni Superi! quas tu in me laudes congeris, vt mei ipſius optimè cōſcius agnoſcerē non poſſum, ita animum, ideſt qui te eas impulit ſcribere amorem, maximè amplector. Noli, obſecro, tua bona, quæ rara elegantia ingenii, & mira fœlicitate iudicii tibi propria vindicaſti, alii cuipiam, quàm tibi ipſi imputare. Vt enim minor facula maiori lumini lumen non addit, ſic ego minori meo ingenio tuo ſummo ingenio addere nil potui, quod non ante multo fœlicius præcipere, quàm ego poſſem docendo aperire. Quæ hic habes Arni & Piſarum colloquia cum iambis ſenariis puris ita lege, vt cenſeas, & ſimul quid ab aliis cenſeatur ab hominibus iſtic ſapientiſſimis exquiras. Vbaldus frater tuus, vbi Sereniſſimus Princeps aduenerit, in Academia noſtra recitabit. Iamque mira ab omnibus alacritate, ſummiſq; ſtudiis teſtari incipit, vt ſua quiſ-

que

que gaudia in Sereniſſimo natali,ſeu Romana, ſeu Thuſca venuſtate eloquii teſtetur. Dicitur Celſitudo Leopoldi cum Tyrrhenæ Aulę Primatibus adfutura. Me tui obſeruantiſſimum nominis ama. Vale.

Piſis pridie nonas Nouembris 1663.

Eruditiſſimo, ac Præſtantiſſimo Viro
LAVRENTIO ADRIANO SVO.

Campum Maiorem

QVas ſuperioribus hebdomadis litteras miſiſti, ambas accepi; neque non potui in triſti argumento dolere, neque aduerſæ valetudinis tuæ nuntio nō deiici; quę te enim affligit moleſtia morbi, me quoquè in tuo caſu mœrentem affligit. Tu fac animo forti & conſtanti ſis; ſperamus Diuina ope fore, vt depulſa ægritudine priſtinę breui, ideſt vegetæ valetudini reſtituaris. Ego quoquè ab infeſtiſſima febre, quę me dies aliquot moleſtiſsimè concuſſit, iam Summi Numinis ope conualeſco; at ægrè in priſtinum robur redeo. In comitiis Piſanis decimo quinto calendas Octobris vndecim ſuffragiis homines meos competitores vici; placuitque Diuinæ clementię mihi in tam ancipite caſu fauere. Guttas aliquot ſaluberrimi olei, quod ab Hetruſca Aula accepimus, tibi tanto libentius mitto, quanto tuam flagrantius valetudinem opto. Quo

in

in voto nè tædia morbi profuſæ tædio epiſtolæ accumulem, meum tibi amorem, faciendaſque pro tua incolumitate preces nũtio. Vale, ſed quàm ociſſimè, & à tui amãtiſsimo amico ſalue.

Piſis nonis Nouembris 1663.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D.
STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

SÆpè antea cogitaui, Illuſtriſsime Gradi, vt quas ſummæ humanitati tuæ gratias deberem, ſi exoluere non poſſim, ſaltem celeritate officii compenſarem; ipſamque de habendis gratiis voluntatem pro ipſis fore gratiis exiſtimabam, ſi de ea tibi voluntate tempeſtiuè conſtaret. Verùm huic meo conſilio feriæ tuæ, ac grauiſſimæ occupationes obſtitère, quibus inanitate mearum obſtrepere, potius temeritatem, quàm officium eſſe putaui. At inquies, cur non eadem nunc ratio obtenditur? Scio ſua interſtitia, & a rebus maximis gerendis vacationes darj, ipſiſque clientibus, dum Sacra imminent Natalitia, publicam ſalutandi patronos copiam fieri. Proinde quas adhuc non habui grates, eas nunc ita perſoluo, vt me ipſum tibi perpetuò debiturum eſſe cõfitear. Tua enim opera Summo Principi Terrarum non modò innotui, ſed litteris

quo-

quoquè nomine Beatitudinis Suæ exaratis honeſtatus ſui; Vnde quicquid mihi indè gratiæ, ac fauoris apud Sereniſſimos Hetruriæ Principes acceſſit, id tibi vni refero acceptum, atque vtinam aliquando ea poſſim fœlicitate obligatam tuo nomini oden pangere, qua tu inter ſeptem illuſtrium Virorum poemata, non vt aſtrum, ſed ſol inter planetas emicuiſti. Sine obſecro, vt denuò humanitati tuæ grauis ſim, quaſque incluſi epiſtolas, alteram Suæ Sanctitati, alteram Eminentiſſimo Principi Chiſio (ſi id mos Romanus recipit) digneris meo nomine exhibere. Tibi fortunatiſſimos auguror, qui imminent, Numinis natalitios dies, voneoque vt cum nouo ſydere ineuntis anni nouus quoque purpuræ ſplendor tua ingentia merita exornet, quod Superis benè iuuantibus aliquando (atque vtinam citò) fore confidimus. Vale.

Piſis idibus Decembribus 1663.

Sanctiſſimo Domino Noſtro
ALEXANDRO VII.
Pontifici Optimo Maximo.

Romam.

SIngularis tua clementia, Sanctiſsime humani Generis Moderator Alexander Septime Pontifex Maxime, effecit, vt nunc quoquè cum ſumma venerandi demiſsione pri-

priuatæ pietatis officia tuæ audeam Beati-
tudini gratus exoluere. Quod enim ſummi
beneficii loco eſt, quodque omnibus votis
à Summis Proceribus optari ſolet, id mihi
Sanctitas tua clementiſſimæ indulgentiæ
fauore conceſſit, de ipſa loquor Apoſtoli-
ca, quam mihi dignatus es elargiri, Bene-
dictione. Cui ego muneri neque Regum
opes, neque aliquid, quod humana ambi-
tio pretioſum putat, prætulerim. Grates
itaque Beatitudini tuæ, non quas elegantia
ſtyli ſummas, maximas, & immortales di-
ceret, habeo, ſed quas animus meus cum
aſſiduis precibus, votiſque optat, vt San-
ctitas tua Orbi terrarum pacando, pacato-
que diutiſſimè incolumis ſuperſit. Quo in
deſiderio magni dies natalitii Numinis, cu-
ius vicaria poteſtate mortalibus præes, tibi
multo fauſtiſsimi illuceant opto, voueoque
vt hæc anni ineūtis exordia, alia & alia mul-
to plurima conſequantur te Summo Præſi-
de rerum. Vale.

Piſis idibus Decembribus 1663.

Beatitudini tuæ

Humillimus, deuinctiſsimuſq. Seruus
Petrus Adrianus Vanden Broecke
Flandro-Belga à Tenaramonda
ex Epiſcopatu Gandenſi.

Emi-

Eminentiſſimo Principi
FLAVIO CARDINALI CHISIO
SS. D. N. Alexandri VII. ex Fratre Nepoti.

Romam.

QVas ad me octauo Calendas Aprilis, Romanæ Purpuræ Apex, idemque Chriſtianę Reipublicę decus eximium Princeps Chiſi, miſiſti, humaniſſimis litteris, diſtuli ad hoc vſque tempus reſpondere; quod non auderem tibi tot ſeriis rerum humanarum negotiis occupato nuda gratiarũ actione obrepere; neque nunc auderem, niſi publica teſtandæ pietatis cauſa aditus ad ſummorum Principum penetralia aperiret, liceretque accepta a maioribus conſuetudine ſuis cuique Patronis propitios Cælites apprecari. Nunc igitur tuæ ſummæ humanitati, qua mihi dignatus es Apoſtolicam Patrui tui Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII. benedictionem mittere, eas gratias litteris habeo, quas ante maximas ſemper habui, neque deſtiti Deum Optimum Maximum pro tua, quæ viuendi longiſſima ſit, incolumitate precari, priuatiſque votis & Romanæ Eccleſiæ, & totius Europæ tranquillitatem orare. Qui verò imminent magni Numinis natalitii dies, ii nunc tibi fauſtiſſimi eueniant opto, & poſt alii, & alii quamplurimi ſemper fauſti, ſemper fœlices, non ſinè magni tui nominis incremento ſuccedant;

Quotq; hic verba leges, tot agãt tua tẽpora Ianos.

Vale

Vale.

Piſis pridie idus Decembres 1663.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE Eloquentiæ in Piſana Academia profeſſori.

Stephanus Gradius.

Piſas.

DIu me ſollicitum habuit, quòd incertus eram, quid factum eſſet litteris ab Eminentiſſimo Chiſio me curante ad te datis anno ſuperiore, propterea quod à te, poſtquam à me iſthuc tranſmiſſæ fuere, deſideratas inaudieram, nec deinde quicquã ad me ea de re allatum eſt. Acceptis itaq; poſtremis hiſce tuis litteris idibus Decembris datis, gratulatus ſum ipſi mihi, quòd qualiſcumque illius meæ operæ non inanis fuiſſet conatus, maximè quòd ad tuam exiſtimationem augendam in animis Sereniſſimorum iſtorum Principum tanti momenti fuiſſet præclarum Sanctiſſimi Pontificis de tua virtute iudicium, quantum ab his ipſis litteris accipio. Gratias igitur quàm poſſum maximas tibi habeo, quòd me ſimul cura permoleſta liberaueris, & ſumma affeceris voluptate. Hoc tamen, caue, referas ad eam partem litterarum tuarum, qua iuſto tribuis amplius pauculis verſiculis me inuito in publicum authoritate amicorum pro-

la-

latis; nec enim quod de illis tam ſplendidè pronuncias, iudicio potius tuo, quàm humanitati acceptum fero. Nouæ tuæ ad Sãctiſſimum Pontificem, & Eminentiſſimum Chiſium litteræ ſinè mora traditæ ſunt, quarum reſponſum huic epiſtolæ adnexum ad te mitto, precorque ne offendaris dilatione, quæ vitari non potuit propter argumenti naturam, quæ ita fert in hac Aula, & grauiſſimas occupationes, quæ non ſunt paſſæ de huiuſmodi officiis pluribus agere. Interim ſi quid & qua in re voluntati, commodiſque tuis mea opera, ac diligentia conferre poſsit, vt alacrem paratumque me intelligas pro viribus curabo. Vale.

Romæ ſeptimo Calendas Februarias 1664.

Perilluſtri Domino

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

In Academia Piſana eloquentiæ Profeſſori

Piſas.

PErilluſtris Domine. Obſequium tuarum litterarum, quibus Sanctiſſimo Domino Noſtro lætos, fauſtoſque Natalis Dominici dies precatus es, benignè, amanterq; pro Paterna ſua in te, Muſaſque tuas propenſione amplexa eſt Sanctitas ſua; mihiq; iniunxit, vt ſui erga te animi teſtimonium Apoſtolica benedictione renouarem. Planè à Pontificia voluntate meam non diſcrepare omninò intelliges, ſi qua ſe obtulerit occa-

ſio, meam apud Sanctitatem ſuam operam, atque authoritatem pro commodis, votiſq; tuis interponendi, cui me interim ex animo offero, ac benè precor à Deo.

Romæ 26. Ianuarij 1664.

Dominationis veſtræ Amantiſſimus
Flauius Cardinalis Chiſius.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.D.
STEPHANO ABBATI GRADIO,
Romam.

SVmmæ tuæ, & incomparabili humanitati meas denuò ex intimo venerantis animi affectu grates defero, deferamque quádiu & hac luce frui, & tua in me maxima merita recolere licebit; quicquid enim ſeu laudis, ſeu gratiæ apud Summum Terrarum Principem obtinui, id tuâ vnius opera, ſingularique ſtudio effectum eſt. Quo circâ & Summo Pontifici, tibique multiplicis beneficentiæ vinculo obſtrictus ita deinceps viuam, vt cùm nihil à me dignum, aut par vnquam rependi poſſit, ſaltem officioſi animi debitum meis apud Numen votis, precibuſque, tum pro longa incolumitate Principis, tum tuæ merito dignitatis incremento compenſem. Quæ nuper de Pace, pauca, leuia, & extemporanea luſimus, te iam credo ab Illuſtriſſimo Raſponio accepiſſe, cui ego ampliſſimo viro meæ nuper venerationis obſequia vnà cum meis editis poematiis

detu-

detuli; meque is, vt totus humanitas eſt, hilari ſanè, ac liberali vultu accepit, dimiſitque non ſinè ſuarum admiratione virtutũ ad perpetui cultus ſtudia animatum. Nunc aliqua in Regium natalem Thyrreni pueri cum breui Auguſtę familię elogio molimur. Ea velim, Illuſtriſſime Gradi, ſi id quoque tibi probaretur, Eminẽtiſſimo Principi Chiſio nuncupare, vt huic quoquè Summo Romanæ Purpuræ Apici de mea ſingulari obſeruantia aliquid publicè conſtet, præſertim cùm iam rebus pacatis, excluſo a Tyberi Marte, ſuam illic ſedem Muſæ vindicẽt. Qua tamen in re me totum tuæ eximiæ prudentiæ, tuoque, ſi id fieri probes, conſilio cõmitto; ſimulque tibi omnia proſpera, & ſecunda cum diutiſſima incolumitatę a Deo Optimo Maximo auguror. Vale.

Piſis nonis Martijs 1664.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Stephanus Gradius.

Piſas.

Legi humaniſſimam epiſtolam tuam ab Illuſtriſſimo Raſpono mihi tranſmiſsã ſumma cum animi voluptate, quippe conditam ſuauiſſimo Muſarum lepore ob verſiculos, quos vnà miſiſti, doctos Iupiter, & elegantes; præſertim quibus natalis Sereniſſimi Principis celebratur, qui mihi vidẽtur

tur inchoatio quædã maioris opuſculi,quod cultum, elegans argumenti maieſtati eximiè reſpondens futurum videtur. Hoc vt perficias, & quamprimùm publici iuris facias opto; Eniteſcet egregiè,mihi crede, ſua ſponté, eoque magis accedente commẽdatione nominis eius, cui inſcribere meditaris. Neque res deliberatione indiget,vt expectandum amici conſilium ſit, cùm hoc obſequij genus dignitatis ſuę ſtudioſis Principibus nũquam ſoleat ingratum accidere; Nec Eminentiſſimus Chiſius is eſt, qui famam, gloriamque ſuam,aut propria virtute excitare, aut aliena prædicatione propagari contemnat. Vale optime Adriane, ac de litteris, & muſis iſta ingenij tui ſuauitate benemereri perge.

Romæ idibus Martijs 1664.

Clariſſimo, Eruditiſſimoq; Viro
LÆVINO DEBBAVT
S. T. Profeſſ. Ord. Louanij, Auunculo ſuo.

Louanium.

SVmmoperè gauiſus fui cùm ab ijs, qui hic fuère popularibus, Patre Prouinciali Heringio, & adoleſcente Lanfranchio, proſperam tuam, ac ſecundam valetudinẽ intellexi. Faxit Deus vt ea tibi multo longiſſima obtingat, quod ab eodem clementiſſimo Numine meis efflagitare precibus nun-

nunquam deſino. Duas diuerſis temporibus ad te litteras miſi cum quodam teſtimonio Academiæ Viennenſis in Auſtria, ſed nihil hactenus reſponſi obtinui. Scripſi autem pro viro clariſſimo, & magnæ apud Italos exiſtimationis; neque aliud ſciu reſpódere, quàm fortaſſe litteras periiſſe. Reſcribe quæſo aliquid, ſique id tua manu fieri commodè non poteſt, dicta cui velis, vel vnus ſolùm apex tuæ ſubſcriptionis mihi inſtar voluminis erit. Sororio quoquè meo Schoondragio ſcripſi, & inter reliqua addidi ne me in luſtrali fonte præteritum velit, ſi ſoror ſpem aliquam pariendi oſtendat, & me denuo illi cum plurima ſalute offero. Eſtnè Ioannes frater apud vos Louanij, an rure? quod videor ex litteris Frãciſci fratris intellexiſſe. Læuinum ante aliquos annos ſcripſiſti apud Batauos eſſe, an etiam ibi ſit, aut vbi, aueo ſcire. Si is nedum nuptiarum vinculo ſit implicitus, cur non ſemel ad me huc properat? Spatio viginti dierum iter confici poteſt; ſi illi animus eſt, qui in id iter tam veniendi, quàm redeundi ſuffecerint, nummos illic ſoluendos curabo. De rebus meis vberrimè ſcripſi in ſuperioribus litteris, quas ad te diligentiſſimè perferendas via Antuerpiẽſe curaram. In iis erant aduerſaria eius epiſtolæ, quam Flauius Cardinalis Chiſius ad me nomine Beatitudinis Suæ Alexandri VII. miſit. Et nũc denuo aliàm accepi cum Sãctitatis Suæ Apoſtolica Benedictione. Va-

letudine multum incerta vtimur, Alia,quę de me ſiat,à præſenti mearũ latore amiciſſimo mihi homine,& religioſiſſimo viro Bernardino Plogerio intelliges.Saluté omnibus cõſanguineis,& amicis officioſiſſimã nuntio; tibi verò proſperam cum multis, & multis adhuc annis valetudinem à Deo Optimo Maximo opto, voueoque. Vale.

Piſis decimo quinto calendas Iunias 1664.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

DEnuo aliquid,ſed languenti calore,effũdimus. Ab auguſto itinere Sereniſſimi Principis confidentia dedicandi accepta eſt. Quæ hic habes exemplaria, ea obſecro pro vetere noſtra ne ceſſitudine, & tua ſingulari humanitate,Sereniſſimis Auguſtis offer, meoque nomine & argumenti, & fortunæ meę, cũ nullo exemplaria cultu adornarim, tenuitatem excuſa. Cætera Tyrrhenę Aulę Proceribus,Marchionibus Corſinio, Vitellio, Nicolini, Saluiato, alijſque ampliſſimis viris Comiti Bardi, Hyppolito Belgæ, Montemagnio, tum noſtro Redi perſpicaciſſimo naturæ ocello, Muſarumq; eximio decori, tum Chimentellio, & Dato, tibique notis alijs eximijs viris diſtribu[illegible]. Poematium in natalem Sereniſſimi Principis

pis iamdiu ad calcem perduximus, edituri vbi de nomine, & luſtralibus cęremonijs futuris conſtiterit. Adiecimus nonnulla, quæ à tuo diſceſſu, in Cœlites Piſanos luſimus. Purga me quæſo apud optimum & integerrimum Redi, quòd nè nunc quidem pro elegātiſſimo ſui libri de viperis dono meis litteris gratias habeam, quas quamprimum habebo. Æſtus immodicus, inconſtans valetudo, Syſiphius, quo opprimimur, labor, me non immemorem officij ſed languentem ſubinde, ac pronum in dilationes reddunt. Vale integerrime, ac optime quos iſtic colo, amicorum.

Piſis idibus ſextilis 1664.

Clariſſimo Viro
IOSEPHO BRONDI
Eximio Iuris Romani Interpreti.

Sarzanam in Liguribus.

AD nonas Octobres binas Amſtelodamo litteras accepi, quarum altera tuo nomini inſcripta hìc includitur, altera ad me fuit; ex qua didici ea quæ voluiſti, Amſtelodami volumina, cùm pauciora eſſent, quàm quæ in iuſtam ſarcinulam cogi poſſent, curante Blauio ad Borgiani librarii Florentini ædes perferenda eſſe, vnde facilis tibi ea procurandi copia erit. Hæc ferè, qua ad me ſcribitur, ſum-

ma eſt. Quod in ſigillo tuarum vitium aſpicis, id à cuſtodibus publicæ valetudini tuédæ præfecti s Labrone factum eſt, ſcis enim in Batauis atrociſſimè luem graſſari. Potui quidem, clariſſime Brondi, aliquanto citius humaniſſimis litteris tuis reſpondere, ſed cùm nuda tantùm officii, & meæ, de qua dubitari non debuit, diligentiæ ſignificatio ſcribenda eſſet, ad hoc vſque tempus diſtuli, vt & vna tibi de officio meo, & ipſo diligentiæ teſtimonio in Batauì librarii litteris conſtaret. Vide porrò ſi qua in re, aut me, aut mea opera vti voles, & liberè impera; nam tibi, qui iam toti Italiæ ſparſa tui nominis claritate vt ſydus matutinum exoreris, nō modò mihi iucundum obſequi, ſed etiam honorificum putabo. Vale.

Piſis pridie idus Octobris 1664.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.D.
STEPHANO ABBATI GRADIO

Romam.

CVm ijs litteris, quas ad me idibus Martiis dediſti, vt me tunc, humaniſſime Gradi, hortabaris, quamprimum ſatisfacere in mea poteſtate non eſſet; teque ſcirem quotidie ſeriis, grauibuſque negotiis diſtineri, denuo hæc tempora, per quæ ſepoſitis quodammodo curis liberior ad patronos aditus aperitur, expectaui. Ipſum poematium

tium in natalem Sereniſſimi Principis Hetruriæ demum ad calendas Iunias perfeci; neque tunc Principe Chiſio Legato a Latere ad Chriſtianiſſimi Aulam proficiſcente licuit typis euulgandum committere. Poſtquam verò à Rege Princeps rediit, potuit quidem impreſſio maturari; ſed cùm Sereniſſimi Infantis nomine præſcribi non poſſit, tantiſper diſtuli, dum id Principi apud Sacrum fontem in luſtralibus cęremoniis iudatur. Quod vbi fiet, fiet autem, vti confidimus, breui, protinus quale eſt poematium vulgabo; nihil enim mihi gratius in vita accidere poteſt, quàm tibi obſequi, & Principi Chiſio hoc qualicumque labore ſingularis meæ obſeruantiæ memoriam teſtari. Quas huic faſciculo incluſi, & quæ exemplaria addidi, pro tua, qua me iam ſæpius deuinxiſti humanitate, da obſecro, Illuſtriſſime Gradi, meo nomine Summo Pontifici, Principi Chiſio, & Illuſt. Raſpono. Alia quædam, quæ ſubinde luſimus, tibi ſeorſim vna cum exemplari adnexi. In iis vnà cum meo cultu, & obſeruantia, amorem quoquè meum agnoſce, & iam rebus Europæ compoſitis, vide quęſo ſi ab ipſo Sanctiſsimo Præſide terrarum aliquid aut ſua in imagine, aut honoris poſſim conſequi. Erubui quaſi; at tu votis, & meæ ingenuitati ignoſcendum puta; Dum ego hæc ſolemnia natalitia ſacra, cum nouo qui exoritur anno, ita proſpera, & fortunata auguror, vt tibi aut nunc, aut breui ad Purpuræ decus euehen-

hendo fauſtiſsima reſplendeant,& poſt alia longè plurima, & plurima conſequantur. Vale.

Piſis decimo ſexto calendas Ianuarias 1664.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D.
CÆSARI RASPONO.

Romam.

QVoniam,Illuſtriſſime Cæſar,cum Chriſtianiſſimo Rege pace cõſtituta, bellique incendio, quo Italia, quo Gallia deflagratura videbatur, extincto, ipſiſque exercitibus ad tuendam Pannoniam deſtinatis, hinc rebus fœliciſſimè geſtis Romam rediſti, cùm recordarer, recordor autem ſæpiſſimè, qua me affabili comitate, dum ad te obſequij, & venerationis cauſa accederem, ad ipſa interiora ſædium excepiſſes, tum quanta humanitate me tibi anteà ignotum dimiſiſſes, arſi ſubito incredibili deſiderio meum tibi amorem cum eximio cultu, obſeruantiaque coniunctum per litteras teſtãdi. Sed cùm ſcirem grauiſſimis rebus te quotidie occupari, quibus à me interſtrepi litteris non debuit, hæc ipſa opportuna adeundi, ſalutandique tui tempora elegi, tibique nunc me totum cum amore, cum cultu, cum ſummà tui nominis obſeruantia ſiſto. Hanc quæſo voluntatem a candore, & ingenua indole profectam in nouo ſi finis clien-

cliente agnoſce. Ne verò ad tua limina inanis & vacuus accedam, libuit mihi viam hoc munuſculo, licèt tenui, licèt exili, dummodo a grato proficiſcatur animo, aperire. Id habe, & me in illo, humaniſſime Cæſar, qui licèt clientibus tuis ſingulis laude, virtute, doctrina concedam, nemini tamen aut amandi, aut colendi tui magnitudine concedam. Qui imminent Sacratiſſimi Numinis natalitij dies, eos tibi fortunatiſſimos opto; quæque de tuo nomine viget ſparſa per Europam celebritas facit, vt quaſi vatès augurer id, quod tua virtus diu meretur, Purpuræ decus. Vale.

Piſis decimo ſexto cal. Ianuarias 1664.

Sanctiſſimo Domino Noſtro
ALEXANDRO VII.
Pontifici Optimo Maximo.

Romam.

POſtquam clementiſſimæ Maieſtati tuæ, Alexander Septime Pontifex Maxime, placuit, quæ ſuperiore anno obſequia priuatæ pietatis Beatitudini tuæ obtuli, ſic agnoſcere, vt me iterum Apoſtolicæ benedictionis gratia, munere mihi omnium munerum in hac mortali vita maximo, cumulare dignata ſit; Denuo abſens mea hic prius mente libato ad Sanctiſſimos pedes oſculo, tum actis cum plena [illegible] ſſio-

ne gratijs, omnibus votis, aſſiduiſque precibus ab Altiſsimo, qui Te voluit humano generi vicaria Maieſtate præeſſe, deditque habenas terrarum moderari, efflagitabo, vt omnia Beatitudini Tuæ proſpera,ac Sancta elargiri dignetur, vtque Orbem terrarum, quem iam Sanctitas tua pacauit, diutiſſimè incolumis regat, ac in ſancta tranquillitate tueatur. Tum opto, precorque, vt qui Sacratiſſimi Natalitij dies imminent, ijdem Beatitudini Tuę fauſtiſſimi cum hac anni, quæ redit, conuerſione ſæpius & ſæpius illuceſcant. Addidi, Beatiſſime Pater, litteris meis, ne ſolæ limina Vaticana ingrediantur, comitem hymnum, quem Sanctiſſimæ Virgini, dum aſſumeretur, cecini. In hoc Maieſtas Tua animũ meum aſpiciat, quem Dominus in munuſculo Euangelicæ anus aſpexit. Vale.

Piſis decimoſeptimo cal. Ianuarias 1664.

Beatitudini Tuæ

Humillimus, deuinctiſſimuſq; Seruus
Petrus Adrianus Vanden Broecke
Flandro-Belga Tenaramondenſis.

Emi-

Eminentiſſimo Principi
FLAVIO CARDINALI CHISIO
SS. D. N. Alexandri VII. ex fratre Nepoti.

Romam.

OPtabam, Eminentiſſime Princeps Chiſi, cùm a Legatione Gallica hàc iter Romanum inſtituiſſes, Tibi quamobſeruantiſſimè venerationis meæ obſequia teſtari, ſimulq; de fauſtiſſimo reditu, ac de Regia Legatione cum incredibili tui nominis gloria ampliſſimè honorificentiſſimèque obita gratulari; verùm cùm præ anguſtia temporis, qua hic Piſis morabare, tui ſalutandi copia vix alicui daretur, neque ego me auderem, & pudore, & ingenuitate mea admonitus, tam magno Principi iam vehiculis ad maturandum iter compoſitis, tam alieno tempore offerre, id quod tunc maximè in votis habebam præſtare non potui; neque poſt litteris continuò feci, cùm prima illa officia gratulandi Principibus viris relinquenda eſſe cognoſcerem, ſatiſq; fore putarem, ſi ego inter vltimos clientes, dum ferè omnis gratulatio deferbuiſſet, idoneo loco, & tempore gratulatum accederem. Quod nunc, Eminentiſſime Princeps, oblata per hos magnos natalitios dies opportunitate libens facio; de tuoq; optatiſſimo reditu in Vrbem cum Populo Romano, cum vniuerſa Italia, quæ id quoq; maximè gauiſa eſt, gaudeo, tum de ipſa Legatione tibi cum Gallia, cum Septemtrione, cum tota

Europa gratulor; qua effeciſti vt iam in animis omnium mortalium ſempiterna tui nominis memoria impreſſa ſit, quæ nullo vnquam circuitu annorum deleatur. Quin ipſa iam poſteritas non minus in gente Chiſia Flauij nomen amabile habebit, quàm olim in Gente Flauia Titi Veſpaſiani Cæſaris habuit. Vides, Eminentiſſime Principũ Romanæ Purpuræ Chiſi, quàm facilè extra ſimplicis gratulationis limites, fineſq; epiſtolæ in panegyricum me tuarum laudum vbertas abduceret. Regredior; cùmq; magnitudini animi tui, & partæ iam gloriæ nihil vnquam ad tuendam, quam adeptus es, immortalitatem deeſſe poſſe videatur; hic ſolùm à D. O. M. conceptis votis, precibuſq; aſſiduis petam, vt tibi vitæ diuturnæ incolumitas quamlongiſſimè in Chriſtianæ Reipublicæ bonũ prorogetur; ſimulque vouebo, vt hæc magna tibi natalitia lux cum iteranda centies periodo annorum ſẽper magis, magiſq; ſerena exoriatur. Solet, Eminentiſſime Princeps, ſi puro quis obtulit animo, tenuia dona ſummis etiam, maximiſque Patronis placere. Hinc hoc exile poematium, ſola inſcriptione Virginis pretioſum, tibi in meæ obſeruantiæ, perpetuiq; cultus ſignificationem donum miſi. vale.

Piſis decimo ſeptimo cal. Ianuarias 1664.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, Deuinctiſſimuſq; Seruus

Ioannes Adrianus Vanden Broecke

F[illegible]

Cæſar Raſponus.

Piſas.

ME quoquè cùm epiſtolam tuam copiosè & eleganter ad me ſcriptam perlegi, gratiſſima recordatio ſubijt humanitatis, qua me apud vos agentem anno ſuperiore adire, ſalutare, & doctiſſimi ſermonis tui ſuauitate oblectare voluiſti, & non vulgarem animo voluptatem capio ex hoc tuo conſtanti erga me ſtudio, ac voluntate; ſummamque eo nomine tibi gratiam apud me repoſitam eſſe ſcito. Cùm autem guſtaui verſiculos tuos muneri mihi vnà cũ epiſtola miſſos, agnoui, probauique dudũ acceptam de tua doctrina, ingenijq; præſtantia famam; nihil enim illis purius, nihil ſublimius, nihil Apolline dignius eſſe ſtatuo. Perge itaque, vir doctiſſime, de litteris, de bonis artibus, de illius florentiſſimæ Academiæ dignitate, & gloria benè mereri, debitaque virtuti tuæ Sereniſſimi iſtius Principis humanitate diu fruere. Me autem tui ſtudioſiſſimum, eiuſque fœlicitatis, quam mihi hiſce anni primordiis amantiſſimè augurarís, tibi, rebuſque tuis cupidiſſimum eſſe, ſemperque futurum tibi perſuade.

Romæ decimoſexto cal. Februarias 1664.

Stephanus Gradius.

Piſas.

EN epiſtolam Eminentiſſimi Chiſij, quam, vt arbitror, non te pœnitebit diutius expectauiſſe, nam honorificum in ea iudicium de tuis carminibus à Sanctiſſimo Pontifice factum inuenies; lecta enim ſunt ſumma cum voluptate, ac admiratione ingenii Dominationis tuæ. Nec verò citius reſcribi potuit, tum ob communes in aula differēdi huiuſmodi officii cauſas, tum propter incommodam Eminentiſſimi Principis valetudinem, qua a vacando negotiis, & epiſtolis ſcribendis per hos præteritos dies prohibitus eſt. Vellem omnino luculentiore aliquo argumento, quanti te, tuâq; virtutem faciat, intelligeres; ſed magnorũ Principũ benignitati quis eſt vt legem præſcribat? hoc tamen quodcumque eſt, quod certè ad nominis, gloriæque tuæ incremẽtum magnoperè pertinet, quæ tua ſapientia eſt, magno æſtimabis. Me autem tui cupidiſſimum, vt amore, quo inſtituiſti complecti ne intermittas, enixè te rogo.

Romæ pridie idus Martias 1665.

Perilluſtri Domino
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE
In Academia Piſana eloquentiæ Profeſſori.

Piſas.

PErilluſtris Domine. Hymnus in Diuam Virginem tuus Sanctiſſimi Domini Noſtri aures detinuit, & Pontificiam commendationem eſt conſequutus, tum ob ſenſum pietatis carminibus expreſſum, tum ob carmina ipſa ad Latii veteris normam profecta è diuite vena. Neque dubito quin idem futurum ſit doctiorum iudicium. Gratulor itaque tibi progreſſus ingenii tui, & gratias habeo humanitati, qua me eleganti libello donatum voluiſti. Vale, ac Deus te ſoſpitet, atque fortunet.

Romæ tertia Ianuarij 1665.

Dominationis tuæ

Amantiſsimus
Flauius Cardinalis Chiſius.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FRANCISCO MARCHIONI COPPOLI
Magni Ducis Hetruriæ Cubiculi Præfecto.

In Aulam Hetruſcam Piſas.

CVm pudore, & ingenuitate mea retinerer, quo minus Sereniſſimo Magno Duci de impetrando gratuito ſtipendio ſupplices litteras exararem, atque hanc meam tibi modeſtiam, ſeu potius timiditatem, Vir ampliſſime, declaraſſem, tuis me continuò verbis pro tua ſingulari in bonos viros propenſione, & rara erga me immerentem humanitate confirmaſti, vt vanæ iſtius verecūdię rationem meis commodis poſthaberem, auderemque omnium optimo, ac munificentiſſimo Principi, qui prono in me animo eſſet, ingenuè id, quod a Celſitudine ſua optarem, litteris aperire. Scripſi itaq; ampliſſime Marchio, quas hic includimus Auguſtæ Celſitudini Principis litteras; has antequam Magno Duci exhibeam, etiam atque etiam oro, vt legas, digneriſque pro mirifica iudicij tui fœlicitate innuere, an tales ſint, quæ coram Maieſtate Principis legi, & tolerari queant. Nolim enim demiſſionis meæ limites aliqua confidentia loquendi excedere; qua in re conatus fui, vt me maximè cohiberem, ne ſtyli impetu aliò quam decuit euagarer. In Illuſtriſſimo tuo fili[illegible] Al[illegible]andro, vt ſalua, ſ[illegible]erte,

&

& compoſita indole eſt, quæque non ſe prodit, iudicij acrimonia inſigni, ea omnia iam præuideo, quæ tuus in illum amor optat, ac quamuis ea ætas nondum adſit, qua ſolet decus illud palam videri, tamen in illo futuræ virtutis ſpecimen, vel nunc fœlicibus radijs eluceſcit, ſperamuſque fore, vt hoc bimeſtri interuallo non modò eloquentiæ limina tentare, ſed in ipſa poſsit penetralia, vt Ciuis Romanus ingredi; eam enim dabimus operam, vt a te nunquam, aut diligentia, aut ſedulitas mea poſsit requiri. Quod ſi voti compotem me apud Sereniſsimum Mœcenatem reddes, tunc

Nulla mihi finem ſtatuent te fata canendi.

Salue ò præſens Hetruriæ, & Italiæ decus, diutiſsimèque ſoſpes vale.

Ex ædibus meis Piſis quarto Cal. Februarij 1665.

Eruditiſſimo, & Clariſſimo Viro
ALEXANDRO SVVEVERIO
Canonico Louanienſi.

Louanium.

VT tabellariorum fide, cùm ſiut litteræ longiſſimis itineribus perferendæ, ſępè decipimur, ita quoquè ab ipſis popularibus Belgis, dum hinc per Alpes ad ſuos redeunt, eludimur non raró, ſiue id incogitantia eorum hominum, ſeu tarditate proficiſcendi fiat, neſcio; id tamen ſcio litteras nō perferri. Neque ea res mira ſit, cùm plerique pedeſtria itinera ſuſcipiant; atque adeo

quic-

quicquid profeſtionis vſui ſeruit, marſupio aut bulgæ includitur; horis matutinis itur; ſub meridiem ſudatur; ſub quercu, aut alia, quæ ſe obtulit, arbore ſedetur; tum rurſus iri, rurſus ſudari ſolet; nox appetit; fit cœna in diuerſorio. Hic quoties bulga aperiri, quoties miſceri, & conuolui omnia ſolent, vt aliquid aut obligando capiti, aut ſiccando vultui extrahatur! idque dum ſæpius accidit, & ſubinde pingui inter veſcendum contactu, atteritur paulatim epiſtola, nigreſcit, rugas induit, ac tandem in fragmenta plicarum dilabitur. Rides? Seria tibi, & quæ ſunt, narro. Scripſi ante ad te ſæpius, nil perlatum eſſe, ut tuas quoq; perijſſe neceſſe ſit. Nunc mihi cum Belga Mercatore Labronenſe conuenit, is meas ſuo faſciculo Antuerpiam perferendas includit, quę inde Louanium ad te mittantur. Nō potuit animus meus expleri legēdo, & ſi tua iſta epiſtola a Romano Tyberi ad Diliā miſſa, ſępè, ac ſępè a me relegeretur, quāta herclè Belgici elegantia ſermonis prodigia tuæ fœliciſſimæ induſtriæ, cui alia ſimilis etiam in acutiſſimo homine inueniri non poſſet, exequitur! Vix nobis, & ſi nos earum rerum teſtes oculati fuimus, creditura eſt poſteritas te octo non amplius horis, maius enim tempus menſtrua docendi ſpatia non habent, non modò eos, qui latinè norunt iuuenes, alioſque qui in grauioribus diſciplinis illuſtri celebritate nominis vigent, ſed puellas quoquè virgines ita Hi-

Hiſpanici ſermonis facundiam perdocere, vt non modò ingenium linguæ inſpicere, ſẽſus aſſequi, ſinè probæ enunciationis labe legere, ſcribere, ſed loqui decorè, ſuaſque cogitationes poſſint Hiſpanis vocabulis efferre. Quæ dum a me clariſſimis in hac noſtra Academia viris narrarentur, factum eſt, vt illi quoquè tui noſcendi cupiditate incredibili arderent, ſuumque amorem, quem tua iſta mirifica & inaudita virtus accendit, non ſinè admiranda tui nominis laude teſtarentur, teque Italico elogio tam benè de Hiſpanica lingua merentem decorarent. Hic exemplaria incluſi; lege, vide, & cenſe, & me tuæ exiſtimationis cultorem eximium habe; vtinam, vt tua ſunt merita, præconẽ. Eſtne Prefes Auunculus alieno a me animo factus? illius nomini poſtrema poematia mea ante annos quinque inſcripſi, atque illhuc perferenda curaui; ex tuis accepiſſe didici; tres alias litteras alijs & alijs annis partim alieno rogatu pro magnis eximijſque in hac Italia viris, partim pro me ipſo dedi; ad me nulla vnquam reſponſio peruenit. Scirem ſaltem, quid deliquerim, aut quæ illi iam tot annos ſilendi cauſa extiterit. Sanctè tibi affirmo me nulla omnino officia, quæ vel ad illius animum mitigandũ, vel ad meam culpam diluendam pertinerẽt, prætermiſſurum eſſe. Tu porrò Suueveri, qui mihi vetere neceſſitudinis vinculo coniunctus es, cuique illius quotidie congreſſu & conſuetudine vtendum eſt, vide queſo, & ſcru-

ſcrutare integerrimi viri animũ; dilue cauſas, ſi ſubſint, alienationis; meque illi totum inſinua; quod te pro ſingulari tua in me beneuolentia, & mirifica, qua polles, comitate, gratia, authoritate facturum ex meis, tuiſque votis confido. Epiſtolam huic annexam Loenio iuris iſthic canonici clariſſimo Interpreti trade. Heus, optime amicorum, audiuimus Embacchium è viuis deceſſiſſe, prouinciam Puteani vacare, Scutelarium, Bramium, & Impemium cõpetitores fuiſſe, & ſiles? fortaſſis ego cum ijs hominibus componi non potui? vel adeo meum iſthic nomen ignotum eſt, vt nulla eius haberi ratio debuerit? Si ita eſt, tuebor me intra alpes contẽtus ea fama, quam mihi, & ſi immerenti, ſatis pronam, & amicam dedit Italia. Tu ſeriò aliquid reſcribe, & quid ſucceſſerit nuntia. Salutem clariſſimo Plẽpio & meo olim in philoſophia profeſſori Philippio. Salue, & vale optime Suueveri, & meq; tui conſtantiſſimè amantem redama.

Piſis decimo quinto Calendas Aprilis 1665.

Cla-

Clariſſimo, & Ampliſſimo Viro
HENRICO LOENIO
In Academia Louanienſe Ius Canonicum profitenti.

Louanium.

ETſi te iam olim, Vir clariſſime, cùm Louanij totis ſex annis philoſophiæ, & alijs diſciplinis operam nauarem, & hìc poſtea apud Italos ſingulari amore, ac tacita quadam obſeruantia mea coluerim ſemper, arderemque præterea incredibili deſiderio hanc meam erga te voluntatem, ſeu coram exhibito venerationis officio teſtandi, ſeu hinc litteris ſaltem patefaciendi; tamen cùm de nominis tui celebritate, queq; de te per hanc ipſam Italiam ſparsa eſt fama, cogitarem, creuit quidem amor in te meus, atque obſeruantia, ſed nequaquam auſus fui me ignotum hominem, quem nulla merita ornarent, nullus antea fauor, aut gratia commendaſſet, tibi longè eximio clariſſimoque Viro obtrudere. Quapropter vt modeſtiæ, & pudori meo conſuleretur, multos annos tacita iſta tui colendi, amandique voluntate contentus vixi, quoad à Canonico Suueverio intellexi quæ hic euulgauimus poematia mea, & iſthuc perlata fuere, tuo in primis elogio commendata fuiſſe. Quæ res poſtea me tam acriter in tui amorem, cultumque rurſus accendit, vt mihi videretur nulla amplius temeritas apud te eſſe metuenda, qui tam beneuolè, tam aman-

ter tenues meos, & exiles numerós commendes, pluſque affectui tuo ad excitandós conatus hominum, quàm acerrimo iudicio tribuendum eſſe putaueris. Scribo itaque tua iſta bonitate, & egregia in probos homines voluntate aliquanto confirmatior; atque in primis me totum tibi dedo, non tacito amplius ſtudio, ſed palam cum expreſſo obſequio colendi, omnibuſq; tum amandi, tum obſeruandi tui officijs. Poſtquam verò meas eſſe aliquid putaſti nugas, vbi ſe fida obtulerit occaſio perferendi mittam Doridem Mediterraneam, ideſt nuptiale poematium pro Sereniſſimis Coſmo Mediceo Principe Hetruriæ, & Margarita Aloiſia Borbonia, cui Europa pacata Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VII. inſcripta adiungetur. Tu interim, Vir clariſſime, ingens decus Grudiæ Themidis, a me vetere tui nominis cultore, & nouo cliẽte ſalue, & diutiſſimè ad iſtius Academiæ gloriam, & Belgicæ iuuentutis commoda ſoſpes vale.

Piſis decimo tertio Calendas Aprilis 1665.

Illuſtriſs. ac Generoſiſſimo Iuueni
ALEXANDRO ABBATI COPPOLI.

Labronem

ANimus meus erat ad xii. Calendas Aprilis te quàmociſſimè mearum obſequio reue-

reuereri; verùm cùm eo ipſo die aliquæ in Belgas exarandæ eſſent epiſtolæ, & ab adoleſcente Ciaufio repêtina properatione Labronem diſcederetur, miſi quidem hetruſca argumenta, ſed,quod maximè cupiebam litteras, adiungere non potui. Itaquæ hæc ipſa nunc officia &ſi aliquanto ſeriùs pro tua generoſa & humaniſſima indole libens admitte. Latina quædam,quæ ſubinde aſtricta oratione luſimus, & a te multo meliora fient, addidimus; non quòd te noſtra ope indigere exiſtimarem, quem ſcio & ingenio ſingulari, & fælicisſima mentis ſolertia eſſe præditum, & mira ſupra ætatem acrimonia iudicij valere, tum quoquè tua ſpontè in optimarum artium ſtudia ſic eſſe animatum, vt paucos putem in Patritiæ iuuentutis ordine reperiri,qui tecum poſſint pręclara iſta ad liberales diſciplinas propenſione contendere. Sed miſi mea iſta extemporanea dictata, vt tibi de ſingulari meo cultu, amore, ac obſeruantia, qua tibi, tuęq; amplisſimæ Domui obnoxius viuo, conſtaret; tum quoquè vt aliqua a te præclarè excogitata, pulcherrimiſque numeris deſcripta elicerem. Quid enim aliud cogitē, quàm te in iſto amæniſſimo ad Tyrrhenum pelagus loco,aut aliquid inNereides Oceani ludere, aut quid ſerium, eximiumque meditari? Tua enim ætas, mihi crede, ſi quò cæpiſti animoſa indole progrediere, ſcio autem te ſpontè progreſſurum, ad præclaram tui nominis æternitatem creſcit, teque

breui

breui per veſtigia magni Parentis euntem vniuerſa Hetruria cū amore, & cultu ſuſpiciet. Rem meam fœliciter, atq; vtinā breui, conficiendam tibi, ampliſſimoq; Patri, quammaximè commendo, quo nomine vtriq; in omnem vitam deuinctiſſimus manebo. Aduerſaria epiſtolę Romanæ a Principe Chiſio te puto accepiſſe; ea ſi in rem meam volet vti ampliſſimus Pater, eius me arbitrio, gratiæ, fauori, & qua plurimum valet authoritati totum committo. Salue Illuſtriſſime Alexander, eximiæ Nobilitatis Tyrrhenæ eximium decus.

Piſis nono Calendas Aprilis 1665.

Eruditiſſimo, ac Præſtantiſſimo Viro
LAVRENTIO ADRIANIO.

Campum Maiorem

VElim, optime ac ſuauiſſime Laurenti, aliquantum te erigas; graue quidem eſt domeſticas calamitates dum alia aliam ceu cathenata ſerie conſequitur, nouo ſemper mœrore excipere, pati incommoda, in chariſſimorum luctu angi, ſpe ſua, & votis excidere; ſed ſi erecta cogitatione hæc omnia humana expendis, inuenies profectò & à ſapientia tua, & huius, & priſci æui exēplis ſubſidium, quo te planè confirmes, certoque aduerſus mœrorem conſilio te munias; ſcis enim ea omnia incommoda, quæ nobis

nobis nè opinantibus quidem oboriuntur iam non amplius noua, aut mira eſſe, cùm alia olim, & maiora alijs ſæpè mortalibus accidère. Scis ipſa aduerſa, dum æquiſſimo animo perferimus, ſummo apud Deum merito non carère; neque alia certiore via, quàm hac ipſa, quæ ærumnis, & calamitatibus obſita ſit, ad Superos iri. Sed hæc melius tibi ipſi, quàm ego poſſim, ſuggeres. Mi chare Adriani, adeonè languidè, aut remiſse te amari à me putes, vt ſubuereare ne alienando amori facta toties mei viſendi promiſſio cauſam præbuerit? hanc quęſo & animo, & pectore cogitationem depelle; meum in te amorem, ſemelque initam beneuolentiam nulla loca, nullum tempus, nulla obliuio, nè mors ipſa extinguet. Tu tantùm veni cùm libet, & commodè veniri poteſt; te nemo vnquam amicorum aut gratior aut iucundior hoſpes venturus eſt. Oppidum Piſcienſe partim ſua ſpontè, partim mea opera te cogitabat iſthuc ad profitendã humanitatem euocare; ſed ſtudio partium annus veteri profeſſori prorogatus eſt. Cœlum ibi multo ſalubrius eſt; ædes nullo sũptu habitandæ; decem & duobus ſcutatis menſtruo labori ex ærario publico ſubuenitur: hæc te ſcire volui, & me, vt ſoles, tui amantem redama. xii. calẽdas Aprilis a Principe Chiſio Alexandri VII. nepote Romæ litteras habui, tibiq; aduerſaria incluſi. Vale.

Piſſis ſeptimo Calendas Aprilis 1665.

Illuſtriſſimo, ac Ampliſſimo Viro
FERRANTI CAPPONI
Magni Ducis Hetruriæ Auditori.

Florentiam.

FRetus, Vir ampliſſime, tua ſingulari, & mirifica in omnes humanitate, tum egregia naturæ ingenuę bonitate, qua te iam olim in tota Hetruria, at maximè in hoc nouo ampliſſimę dignitatis gradu celebrari audimus, audeo hoc qualicumque obſequio litterarum, mei in te cultus, obſeruantiæque cum inſigni amore coniunctæ, tanquam hominis tuæ laudi ac gloriæ deditiſſimi ſpecimen aliquod exhibere; neque hoc meum factum vllo temeritatis nomine apud te tã rara, tam comi indole præditum cenſeri poteſt. Hac igitur opinione mea, immo ſpe certa confirmatus, me tibi nouum quidem hominem, ſed cum veteri cultu, & amore Belgico totum ſiſto, ac dedo; ſique tui patrocinij gratia haud indignum putabis, habebit tua Amplitudo clientem, qui etſi cæteris omnibus ſit doctrina, & eruditione futurus inferior, neminem tamen in officioſa conſtantia amandi, aut colendi ſuperiorem agnoſcet. Tu tantum ignoſce, ſi nunc fortaſſe importunus medijs, grauiſſimiſque occupationibus tuis interrepo. Quæram aliàs ſecundos aditus, & diſcam interſtitia curarum. Vnum ſupereſt, ne longo ſermone te morer, vt quod hic cum Piſana Comitia dimiſiſſes, Amplitudini tuæ, de impetran-

trando gratuito ſtipendio ſummoperè commendaui; nunc denuò quammaximè,quamardentiſſimè etiam atque etiam commendō; quæ res ſi tuo mihi ſtudio, ac fauore obtinget, efficiam profectò,vt te huius in me meriti nunquam pœniteat. Salue Vir ampliſſime, magnæ Italiæ magnum decus, & vale ad plura quàm Neſtor vixit ſpatia viuendi.

Piſis ſexto Calendas Aprilis 1665.

Illuſtriſſimo, ac Ampliſsimo Viro
FRANCISCO MARCHIONI COPPOLI
Magni Ducis Hetruriæ Cubiculi Præfecto.

Florentiam.

OPtaui quidem aliquanto citiùs vnà cum venerationis meæ obſequio, quas debeo Amplitudini tuæ pro tam ſingulari, & munifica erga me voluntate, quam mihi antea ſæpè, ſed ipſo veſpere præcipuè, cùm tibi omnia fauſta in profectione Florentina augurarer,oſtendiſti, gratias ſummas & maximas habere. Sed cùm ipſa vocabula quæ iſthuc mittēda ſuſceperam,ab adoleſcēte librario nedum reſcripta eſſent, tantiſper officium diſtuli,vt ſimul cum litteris meę quoque promiſſionis fidem exoluerem. Itaque & litteras & vocabula nunc mitto; quaſque me decet eximię humanitati tuę gratias habere, eas modò ſummas & maximas habeo; habeo inquam, quia fieri non poteſt vt

mea vnquam tenuitas aliquid referre poſſit, quod aut te Viro longè ampliſſimo,ſummaque apud omnes homines exiſtimatione dignum ſit, aut tuis poſſit ingentibus in me meritis reſpondere. Id verò, quod in mea poteſtate ſitum eſſe cognoſco, omni ſemper ſtudio, diligentiaque efficiam, vt mea ſcilicet aſſiduitas in te colendo, ac obſeruando tanquam à gratiſſimo, & memori beneficiorum animo profecta ſemper appareat. Auditori Ferranti viro clariſſimo cùm ſoluta eſſent comitia, & ab Equitibus paſſim aliò, & aliò in patriam diſcederetur, venerationis meæ officia detuli, rogauique vt ſuo mihi nollet ſtudio pro ſua inſigni, qua iam apud homines celebratur, humanitate deeſſe. Te verò quàmenixè, quàmmaximè etiam atque etiam oro, vt quam ſemel de me, meaque fortunà in re familiari tantillum conſtituenda voluntatem pro tua optima & humaniſſima indole ſuſcepiſti, ſic conſerues, vt impetrata a Sereniſſimis Auguſtis gratia tibi à me perpetuò debeatur. Has Illuſtriſſimo filio tuo Alexandro Abbati adnexi, in quibus meus quoq; cultus, amor, atq; obſeruantia generoſiſſimo Iuueni planè aperitur. Tu, Vir ampliſſime ſalue, & diu ſoſpes ò præſens Hetruriæ decus viue. Vale.

Piſis quinto Calendas Maij 1665.

Il-

Illuſtriſs. ac Generoſiſs. Iuueni
D. ALEXANDRO ABBATI COPPOLI.

Florentiam.

QVæ tibi cum Sereniſſima Aula proficiſcenti dare non potui, promiſſique quamcelerrimè iſthuc miſſurum vocabula, nunc ètiam aliquanto tardius mitto, non tam mea, quàm adoleſcentis librarij cauſa, qui modò rure, modò domi materna valetudine impeditus proſequi continuò ſcriptionem non potuit. Gratulor, gaudeoque te incolumi itinere Florentiam perueniſſe, inque iſta florentiſſima totius Europę Ciuitate, quæ omnium Muſarum domus, & omnium elegantiarum mater eſt, ſic degere, vt breui etiam aliquod tua alta & generoſa indole, & mirifico, quo te natura locupletauit, ingenio ſpecimen dignum, & egregiũ editurus. Quid niſi hæc ſperem ſub clariſſimo Oratore Glaria? quem penè vnicum hac ætate virum habemus, qui veteris elegantiæ ſuauitatem lepore, argutijs, ſale ita temperat, vt vbique Attica, & Romana Venus eloquij ſinè ſuco, ſinè labe ſuis opibus locupletiſſima appareat. Aueo valdè aliquos, quos cecinisti, numeros videre. Nos neſcio quid in geminos Cometas, qui nouo ſui ſpectaculo nuper oculos omnium erexère, luſimus, & metum à vulgo, niſi timere malit, eximimus. Puto fore vt poſt aliqua hebdomadarum ſpatia euulgemus. Id te vnum nunc maximè oro, vt pro tua ex-

 celſa

celſa indole, & ſingulari in me propenſione ſtudioſiſſimè cures, ne ſpes, quam de gratuito ſtipendio habemus, pubeſcenti iam vbique gramine, vndantique ſegete herbarum obruatur; nè ego inquam Sereniſſimorum Principum memoria excidam. Inter veſcendum ſpes meas Ampliſſimo Parenti, quas in ipſo planè conſtitui, ſubindè in memoriam redige, ubique huius rei exitum glorioſum & honorificum puta, qui me tibi æterno munere deuincias, tuæque ampliſſimę domui obnoxium perpetuò reddas. Salue generoſiſſime Iuuenum Hetruſcorum, & quam diutiſſimè incolumis Vale.

Piſis quinto Calendas Maij 1665.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN

Florentiam.

Altius inclamo, euigilaſti tandem? quæ finis tam profundæ quietis? quis ſopor tam diuturno ſilentio illigatus te mei, tuarumque promiſsionum immemorem reddit? non te reor in ripa obliuioſæ paludis decubuiſſe, neque hauſtu fatalis lymphæ me totum tibi repentè excidiſſe. Sed extra iocandi limites, tuas egò iamdiu expecto, vtque dares ſiue aliquo, ſiue vllo argumento cùm eſſes in ipſo limine diſcedendi amicìſsimè rogaui, nullas vidi. Quæſo Tilmanne

ne hunc torporem excute, & te viuum viuis amicis, dum voce non licet, vicario munere litterarum oſtende. Philippus Adrianus Belga ad vos iſthuc cum faſciculo mearum proficiſcitur; litteras, quò quamque ſua fert inſcriptio, Proceribus Florentinis des velim quamociſsimè. Hunc verò iuuenem tuæ perſpectæ humanitati, & eximio amori in populares ita commendo, vt memetipsũ, ſi ego is ſim, qui ad te accedat, commendare amplius non poſsim. Cauſas iſthuc veniendi non addo, hæc enim omnia vberius ex ipſo audies; tu porrò illius genio pro tua in patriam charitate obſequere. Hæc hactenus; nunc pauca de memetipſo habe. Spes noſtra de ſtipendio adhuc ſpes eſt, neq; viruit in aliquem fructum; tu caue ne aliarũ rerum occurſu, & mei fortaſſe obliuione penitus areſcat. Tu, qui ipſa penetralia Aulæ peruadis, cum audacis modeſtiæ elegantia frontem pone, meque Proceribus illis ſeriò obtrude; videntur enim ſua ſponte Sereniſsimi Principes fauere; atque adeò inſiſti, & omnis mora præſecari debet; ſcis enim quanta inter os & offam accidiſſe docuerit antiquitas. Sed vanus ego, qui hæc tibi, quaſi opera figulina ad Samios, ad Athenienses noctuas deportem: res omnis tuæ ſit prudentiæ, & iudicij; tãtum reſcribe, aut nil ſi nil eſt, aut aliquid ſi aliquid futurum eſt. Vale.

Piſis quarto Calendas Maij 1665.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN

Florentiam.

MOuit me quoquè miſerabilis caſus, & ex animo luxi tuæ iſtius clariſsimæ Vrbis Ruremondæ calamitatem, quæ ſuæ Prouinciæ caput tam repentino ac luctuoſo incendio deflagrauit. Quid hic facias? in lacrymas aut mærorem ſolui, erecti & ad omnia incommoda fortunæ conſtantis animi robur vetat. Ferenda ſunt fortiter quæ humana ſolertia vitare non poteſt. Hi iam olim ſæpiſsimè caſus euenère, & quamdiu vrbes erunt aliquando euenient. At propiùs propria quiſque calamitate cruciatur? Sed hæc diuinitùs ſæpè accidunt, vt cognita rerum humanarum fragilitate ſolam mẽtem ad illa ætherea, & manſura in omnem æternitatem bona erigamus. Motus terrarum opulentiſsimas ſæpè vrbes hauſit, mare obruit, bella vaſtarunt, incendia in cineres verterunt. Cur? caſu. At magno illo Numine permittente in publica generis humani exẽpla, monita, immo bona, quia nil niſi bonum ab illo optimo immittitur. Res tibi meas ſeriò commendo. Iam Hymnus Diui Thomę Villanouani imprimitur. Terentius hinc à nobis tacitus abiit, nec potui homini incolume ſinè æſtu iter augurari. Salutem Aulæ Tyrrhenæ Proceribus, item clariſſimis viris, Redio, & Chimentellio, cui velim res meas etiam atque etiam commendari,

dari,

dari, tum cultiſsimo Forzonio, aliiſq; communibus amicis. Vale.

Piſis ſexto idus ſextilis 1665.

Clariſſimo Viro
LAVRENTIO NERI.

Emporium.

NEmo vnquam aduena ſic olim ad Meãdri errores obſtupuit, dum ãmnis modò a ſe ipſo placidè digreditur, modò ſibi ipſi lætis ambagibus aquarum occurrit: vt ego in tuis numeris tam anguſto litterarũ fato incluſis non ſinè grata admiratione attonitus hæſi. Quæ hæc mediusfidius ingenioſa prodigia? tua vnius induſtria exigua comprehenſio vocularum ſeſe in volumina extendit; dumque toties & toties vultu, facie, ac ore immutatur, nunquam ab elegantiæ decore, & venuſtiſsima forma diſcedit, trahitque cathenata ſerie comitẽ vbiq; eloquii nitorem nulla caligine, nullis tenebris occupatum. Nè dubita, Vir Clariſsime, tam inſigni, ac nobili, & pio argumento lucem impertiri. Piſas hoc tibi munere perpetuò obſtringis. Mea iam exemplaria omnia ſunt impreſſa, & in libelli morem colligata. Tua tamen ſi imprimenda curabis (quæ res ociſſimè fieri deberet) vnà cũ meis libellis in Sacra Baſilica Piſarum ipſo Aſſumptionis peruigilio diſtribuentur. Cla-

riſſimis Viris Marchetto, Orſacioque officioſiſsimam meo nomine ſalutem nuncia, meque tui peramantem, vt ſoles redama. Vale.

Piſis quarto Calendas Sextilis 1664.

Clariſſimo Viro
LAVRENTIO NERI,

Emporium.

GRatias tibi in primis ſūmas & immortales habeo, quòd tuæ ſingulari humanitati placuerit nomen meum tali laude prorſus indignum tua iſta elegantiſſima Anagrammatum nũcupatione honeſtare. Erubui profectò cùm litteras legi, teque in iſta honeſtandi me voluntate perſiſtere aſpexi. Si Deus mihi vitam pro ſua clementia prorogabit, efficiam herclè, vt te quamprimũ quamſimillimo munere queam remunerari. Diſtuli hęc ipſa obſequia litterarum aliquãto tardius, vt cognitis litteratorum hominum iudicijs, tibi poſſim plenius de fæliciſſimo plauſu, qui tuam iſtam induſtriam ſanè mirificam, & paucis eruditiſſimis imitandã conſequutus eſt, ſcribere. Si mille fuiſſent exemplaria, mille fuiſſent conquiſita; neque id charitati, & amori Patriç in his hominibus Piſanis adſcribas, ſed eruditæ, & inſigni nouitati argumenti, atque

ea-

eâdem credo te à cultiſſimo Paffetto accepiſſe, ſcioque à peritis Italiç hominibus intellecturum. Deſtiti vnà cum meis exemplaribus tua aliqua, quæ mihi pauca ſeruaui, Florentiam mittere, vt è tuo exemplari emendato alia prius emendemus. Nacti verò fuimus exemplar manuſcriptũ ſatis corruptum, neque mihi in illa feſtinatione licuit ipſa elementa litterarum ad examen vocare, vt librarii errores detegerentur. Mitto ſex alia mea exemplaria, quibus tu nimiam laudem pro tua ſingulari in me beneuolentia adſcribis; ſcio enim me aliquid conatum eſſe, an ad laudem neſcio, faueo tamen tibi etiam ex affectu & amore iudicanti. Aliquanto vberius proximis meis ad te litteris ſcribam; nunc in ſumma occupatione verſor; plures enim quaſi vno die & Romam & Florentiam litteras exaraui; proinde huic ruditati mearum aliquid conniuebis. Tui amantem redama. Vale.

Piſis ſeptimo Cal. Septembris 1665.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FRANCISCO MARCHIONI COPIOLI
Magni Ducis Hetruriæ Cubiculi Præfecto.

Florentiam.

PAulò frequentius quem tibi cultum obſeruantiamque, Vir Ampliſſime, debeo, officio litterarum teſtarer, niſi tuæ ſolidæ,

grauiſſimęque occupationes, quibus quotidie cum Sereniſſima Celſitudine Ferdinandi diſtineri te ſcio, me iuſta quadam formidine deterrerent, quò minus andeam nuda iſta, & repetita inanitate obſequii rebus tuis feriis interſtrepere; neque nunc auderem, niſi hac videret munuſculi pietate ab omni poſſe temeritatis culpa excuſari. Illud quęſo pro tua alta, & humaniſſima indole a tuo dedititiſſimo tibi cliente lubens cape. Tum vnà te omnibus votis, precibuſq; quamobſeruantiſſimè, quammaximè oro, vt quæ ſemel ſtudia conſtituendæ tantillum rei familiaris inopiæ ſuſcepiſti, ea porrò ita velis proſequi, vt hoc tibi poſsim nomine, tuæque Ampliſſimæ Domui id quantulum mihi vitæ ſupereſt perpetuò deuinctus exigere. Addidi libellos ſupplices, vt hi poſſint denuo Auguſtæ Celſitudini Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ exhiberi, ſi fortaſſis priores periiſſent. Suum quoquè exemplar, ſuaſq; litteras filio tuo Illuſtriſſimo Abbati Alexãdro adnexi, rogoque à Clementiſſimo Numine, vt tibi quamlongiſſima incolumitas in publica & priuata bonorum omnium commoda obtingat. Vale Clariſsime Marchio, ingentis Hetruriæ ingens decus, & ſalue a ſummo tuo nominis cultore Belga.

Piſis octauo Calendas Septembris 1665.

Illu-

Illuſtriſſimo, ac Generoſiſſimo Iuueni
D. *ABBATI ALEXANDRO COPPOLI.*

Florentiam.

QVæ à tuo diſceſſu alijs & alijs temporibus imprimenda curauimus, ea ſeorſim, Illuſtriſſime Alexander, & ſi id ante conſtitutum haberem, non miſi, ea potiſſimum ratione inductus, quòd non tanti viderentur, neque digna putarem, quæ ingenio tuo ſolertiſſimo poſſent proponi; inhibui itaque tantiſper officij mei obſequia, vt cum maiori aliquo argumento, etſi id quoquè non multa ſit elegantia, aut cultu exornatum, ea tamen ſimul mitterem; quæ nūc rogo, vt pro tua inſigni indole, & humaniſſima erga me propenſione, læta & hilari fronte accipias; potiuſque velis optimam meam voluntatem, quam ſemper cum eximio tui amore, cultu, atque obſeruantia coniungo, inſpicere, quàm rem ipſam, quę per ſe infirma, ac debilis eſt, expendere. Id præterea te quamſedulò, quamardentiſſimè oro, vt me, meaſque res feriò ampliſſimo Marchioni Parenti tuo, viro omniū longè optimo, & humaniſſimo Italorum, commendes. Quæ res ſi fælici exitu finiatur, ego incipiam, etſi nunc multum deuinctus ſim, tamen multo poſt vobis deuinctiſſimus viuere. Clariſſimo Glaria, & Latij & Hetruriæ communi in omni litterarum elegantia ornamento, plurimam meo nomine ſalutem nuntia. Te verò ad omnia ſumma

ma natum Deus diutiſſimè incolumem fortunet. Vale.

Piſis octauo Calendas Septembris 1665.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Comiti
FRANCISCO ILCIO
Archiepiſcopo Piſarum.

Florentiam.

NVlla mihi res antiquior fuit, omnium optime ac humaniſſime Antiſtes, quàm vt vnà cum Sereniſſimis Principibus Hetruriæ tibi quoquè & eximij mei in te cultus, & amoris, & obſeruantiæ officia in hoc qualicumque pietatis argumento teſtarer, ſimulque tuæ iſti propenſæ voluntati, qua mè hominem nullis tibi meritis, aut nomine, aut vllus doctrinæ laude commendatum, tam benignè, ac ſpontè complecteris, dignas gratias haberem. Dabo profectò operam, vt tam inſigni humanitati, quæ ſolummodò poteſt à mirifica quadā tuæ optimæ & excelſæ indolis bonitate proficiſci, reſpondeam deinceps cum perpetua mei cultus conſtantia, tum etiam, ſi re ipſa non potero, ipſo ſaltem obſequentiſſimo animi conatu ſatisfaciam. Neque dubito quin hanc mei ſignificationē animi ſis ſpontè probaturus, qui ſpontè ſoles, ſi quem vides à probis & ingenuis hominibus ad promouenda optimarum artium ſtudia laborem

borem collocari, tua ſingulari laude, tamquam egregio ad virtutem ſtimulo, ipſos conatus hominum incitare. Vtinam ea omnium, quos rerum ſacrarum imperium honeſtauit, ſententia eſſet; profectò priſca citò Romani æui elegantia rediret, & bona paſſim ingenia ad optimam frugem traherentur. Vide, Illuſtriſſime Antiſtes, quò me amor, & ſancta cupiditas tibi ſimillimos videndi Antiſtes vocet? Sed me refero, vt omnia tibi proſpera, & fortunata cum longiſſimæ vitæ incolumitate meis à ſummo Numine precibus exoptem. Addidi Illuſtriſſimo Comiti fratri tuo ſuũ quoquè cum mea veneratione exemplar. Vale.

Piſis octauo calendas Septembris 1665.

Clariſſimo Viro

VALERIO CHIMENTELLIO.

Florentiam.

HAbes Clariſſime Chimẽtelli, eius, quod tuæ humanitati placuit commendare, libelli exemplar, veteris in te meæ obſeruãtiæ amoriſque Belgicum pignus; neque timiui, etſi de mea imbecillitate ingenij timerem multum, tua præcipuè tam candida, tam erudita, & ingenua fretus cenſura in publicæ iterum lucis iudicia venire, ratus ea alijs diſplicere non poſſe, quę tibi ſemel placuiſſent. Tu tamen pro tua optima

erga

erga me voluntate potius meum aliquid conandi in litteris ſtudium, quàm rem ipſam, quam ſcio non ſatis dignè ex priſca veteris æui elegantia tractari, expendes. Scis enim quibus ego laboribus quotidianis defungar, & quàmſæpè aduerſa mihi valetudo quoſlibet ſeu ſtrictè, ſeu ſolutè ſcribendi conatus interrumpat; quapropter tuæ in primis in me, & omne Belgicum nomen, humanitati confiſus, audeo te etiam atque etiam; denuò orare, vt quæ ſemel ſtudia de re mea familiari, quæ planè nulla, aut exigua eſt, tantillum conſtituenda amplexus es, ea velis ita deinceps proſequi, vt tua in primis gratia, atque authoritate plurimum Ampliſſimo Auditori Capponio commender, felixque exitus mea vota, quæ non niſi modica vltimæ fortunæ ſubſidia ſpectant, conſequatur. Sex ante omnes memini me tua vnius opera ab Auguſta Celſitudine Leopoldi vberiora ſtipendia Piſana obtinuiſſe; nũc quoquè, vt me totum tibi in omni reliqua vita deuinctiſſimum habeas, omni ſtudio effice, vt hac noua gratia totus à me ipſo in tuam quodammodò poteſtatem tranſeam. A ſummo interim Numine precibus meis enixè efflagito, vt omnia tibi ſecunda, fælicia, ac proſpera in longiſſima annorum ſerie obtingant. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Septembris 1665.

Exi-

Eximio Viro, ac Poetæ præſtantiſſimo
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Valerius Chimentellius.

Piſas.

SVauiſſimæ litteræ tuæ mihi redditæ ſunt vnà cum præſtanti carmine de Diuo Thoma Villanouano. Vtrâque me beaſti ſcriptione, tàm ſoluta, quàm vincta; ego gratus ob vtramque humaniſſimum hoc officium amanter complector. Poematium iam ante acceperam, a quo, non ſatis recordor; tertiata interim lectione placuit, in quo mirari pridem didici numeroſam facilitatem, & candidam elegantiam.

Vtinam quantulacumque opera mea ſiue dignitatem tuam exornare, ſiue lautioris fortunæ, ac te magis dignæ, præſidia augere poſſim, perinde ac ſoleo, debeoque, predicatione, & teſtimonio laudes tuas memorare. Sed incidimus in ea tempora, cùm pretium ſoli pretio creuit, vt ſapientiæ, atque eruditioni decreſceret. *Sic virtus, ac probitas laudatur, & alget.* Non deero tamen tum apud Sereniſſimum Leopoldum, tum apud Illuſtriſsimum Capponium, quibus benè notus es. Cura interim quamvalentiſsimè valetudinem tuam, ne magno Reipublicæ litterariæ incommodo non commodè agas. Deus Optimus Maximus, quod precor, fauſta tibi omnia, ac fortunata addicat. Cectium noſtrum ex cor-

corde conſaluta.

Florentiæ pridie idus Septembris 1665.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

CVm de mea erga te voluntate tum officij, tum amoris tibi abundè conſtaret, itidemque mihi de tua inſigni erga me propenſione non liceret vnquam dubitare, aliqua ſiui menſium interualla ſine meo ad te alloquio litterarum prçterire, nõ quòd non maximè tibi ſemper ſcribere exoptarim, ſed quòd quodammodò me pigeret, cùm ſolida argumenti materies deeſſet, tua ſeria negotia inani iſta, & repetita toties officij elegantia interrumpere. Itaque amaui, & colui te ſemper, & quamdiu in hoc mortalis vitæ curriculo eſſe licebit, te conſtantiſſimè colam, & amabo. Nunc etiam in ſacro luſimus argumento, in quo, vt tute ipſe videbis, nihil magnoperè prçter meos conatus laudandum eſſe deprehendes, ſatiſque laudis ab eruditis Italiæ hominibus conſequutus eſſe videbor, ſi hæc poſtrema molitio alijs, quæ anteceſſere, poëmatijs non multo inferior videatur. Sed hæc hactenus. Si me velis in inſulis fortunatis ponere, pro illa tua vetere & optima in me voluntate enitere porrò diligentiſſimè vt

Ma-

Magni Ducis Hetruriæ Celſitudini, & eius munificæ pietati ita inſinuer, tum tua, tum Procerum ope, ac gratia, vt illa modica aduerſus ſupremæ iniuriam fortunæ ſubſidia obtineam. Id enim tantillum ambio, quod munifica Auguſti Principis pietas dãdum tenuitati meæ iam ad inopiam vergenti cenſebit. Quam rem ſi tuo quoquè auxilio conſequar, cognoſces profectò te & operam tuam amantiſſimo tui, & gratiſſimo homini collocaſſe. Deus omnia tua vota, & deſideria fortunet. Salue ab obſeruantiſſimo tui nominis cultore Belga, qui te, quamdiu erit, tamdiu colet, ac amabit. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Septembris 1665.

Clariſſimo Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE BELGÆ.

Petrus Andreas Forzonius.

Piſas.

ETſi mihi tuæ litteræ ſemper iucundæ fuerunt, ac ſumma cupiditate à me expectatæ; non adeo tamen perfricui frontem, vt illas frequenter ad me dari contendere auſus vnquam ſim. Noui negotia tua familiaria, docendi munus, aduerſam quãdoque valetudinem te impedire, nec vllo no-

nomine, niſi tui in me amoris ac beneuolentiæ, eas accipio, ac religioſè veluti theſaurum aſſeruo: Præterea ſæpius ab amicis, & præcipuè à Tilmanno, de te mihi nuncij perferuntur. Tacita igitur obſequii ratione te aſſiduè colo, egregiaſque tuas dotes priſcis ingenijs inuidioſas, qua par eſt admiratione, ac veneratione ſuſpicio. Nouiſſimũ tuum de S. Thoma de Villanoua poematiũ, quod humaniſſimè mihi dono miſiſti, vehementer ab eruditis viris probatum fuiſſe tibi gratulor. Id nobis mirificè placuit, repetitaque lectione ſum contemplatus in eo fœlix tuum ſcribendi genus, lacteamq; illam venam, quæ omnem poſteritatem ab imitatione deterrebit, & ſua longè adorare veſtigia pręcipiet. Penè excandui, dum a tua incredibili modeſtia carmen minus laudatum, immo & verbis extenuatum intellexi; non enim longo proximum interuallo cæteros tuos poeticos labores ſequi cenſuerim, at eodem dignum faſtigio iudicauerim. Numeri illi vegeti animum rapuerunt meum, in ſacro ac arduo argumento viuida inuentio, eximia, robuſtaque puritas, lucidus ordo, totaque Romana maieſtas digna Capitolio. Quàm benè igitur Romano Pontifici Alexandro VII. inſcribitur, qui tuas elucubrationes ſæpè laudibus extulit, & è cortina plus quàm Delphica pręclarum de te iudicium protulit! Prudens aliquot dies tuis reſpondere diſtuli, ſed tandem pro tua cauſa aliquod hacteaus peractum nunciare

poſſe

poſſe gaudeo. Iam optimam in te Auguſti Magni Ducis propenſionem, & inſignem Procerum iſtorum, præſertim Ampliſſimorum Virorum Marchionis Coppoli, & Capponij Senatoris, voluntatem iam aperui; & ni tot res, totque negotia obſtitiſſent, quo minus decerneretur, iam ſtipendium percepiſſes, vtinam par tuis meritis, ſicut modeſtiæ tuæ, pro ſua inexplicabili demiſſione de ſe exiguè ſentienti. Donec autem libellum ſupplicem fauenti nota obſignatum non habueris, de hac re altè ſilere operæ pretium duco. Interea fac animo bono ſis, & me noſtræ amicitiæ, tuarumque virtutum fidum ac ſyncerum cultorem crede. Vale.

Florentiæ ſexto idus Septembris 1665.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

POematium, Illuſtriſſime Gradi, quod iã diu in natalem Sereniſſimi Principis Herturiæ confeci, cupioque Eminentiſſimo Principi Chiſio nuncupare, dum quotidiè luſtrales in ſacro fonte ceremonias, quæ nedum adhibitæ fuère, opperior, nedum typis euulgandum commiſi, vulgaturus vbi prima, prima affulſerit occaſio. Ne quid interim feriari à Muſis videar, Diui Thomæ Villanouani memoriam, eiuſque præcipuas laudes hym-

hymno celebrandas ſuſcepi, quas Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro VII. eo maximè titulo inſcribendas putaui, quòd & is Princeps omnium ante hac Pontificum Romanorum longè maximus, & in bonas artes propenſiſſimus, hunc Antiſtitem ſuæ Hiſpaniæ, & totius Europæ egregium decus, Cælitibus aſcripſit, meoſque conatus aliquid in Sanctos Cælites pangendi tam prono de meis numeris iudicio honeſtauit. At tibi, qui mihì iam toties tam facili humanitate, tam mira propenſione, cùm mea nulla vnquam merita anteceſſerint, ita faues, quid reponam? Obſeruantiæ, amoris, meique in te cultus perpetui ſtudia. Addó & preces, vt Diuina clementia pro tua iſta tam inſigni, & egregia in probos homines voluntate, ipſa te digniſſimo præmio, ſummis tuis virtutibus debito, remuneretur. Rogo itaque, humaniſsime Gradi, vt pro tuo ſingulari in litteras, cultoreſque litterarum amore, hæc ipſa exemplaria meo nomine partim Summo Pontifici, Principi Chiſio, partim Illuſtriſſimo Raſpono, & Lanfranconio totius Auguſtianæ familiæ Rectori exhibeas, meque enixè Sanctiſſimo in terris Principi, eiuſque munificæ pietati commendes. Gratias porrò tibi ſūmas & immortales habeo, quòd litteras à Principe Chiſio tam honorificè de mea imbecillitate cum Summi Pontificis elogio ſcriptas te potiſsimū adiutore acceperim. Deus Optimus Maximus, quæ ego maximè opto, tibi digna retribuat

pre-

prę̨mia, & a me obſeruantiſſimo tui nominis cultore ſalue, & vale diutiſſimè ſoſpes vltra Priami, & Neſtoris annos.

Piſis ſeptimo calendas Septembris 1665.

Sanctiſſimo Domino Noſtro, Domino
ALEXANDRO VII.
Pontifici Optimo Maximo.

Romam.

SIne obſecro, Sanctiſſime Præſes terrarum Alexander Septime Pontifex Maxime, hos etiam conatus ad Apoſtolica Quirinalis Palatij limina propiùs accedere. Aditus ſecundos mihi pietas argumenti, tuæq; Clementiſſimæ Maieſtatis humanitas promittit, quę licèt quotidiè grauiſſima humani Generis momenta tractet, tum ſummam rerum ſuſtineat, tum terras æquo imperio moderetur, ac tueatur, ſe tamen ex illo alto rerum humanarum apice ad priuata deſideria mortalium benignè impertit, indulgetque. Qua ego fiducia fretus, libato prius ad Sanctiſsimos pedes oſculo, hoc munuſculum, exile quidem, & tenue, ſed quod a grato proficiſcitur animo, Beatitudini tuæ in humillimi obſequii pignus exhibeo, meiſque precibus à Deo Optimo Maximo ardentiſſimè flagito, vt tua Sanctitas diutiſſimè Orbi terrarum incolumis præſit; quo in voto tua mihi digne-

tur

tur Beatitudo Apoſtolicæ Benedictioni
gratiam elargiri. Vale.

Piſis ſeptimo cal. Septemb. 1665.

Beatitudini Tuæ

Humillimus, deuinctiſſimuſq. Seruus
Petrus Adrianus Vandē Broecke Be
a Tenaramonda ex Epiſcopatu Gād

Reuerendiſſimo Patri
PETRO LANFRANCONIO
Totius Ordinis Eremitarum Sancti
Auguſtini Priori Generali.

Roman

ETſi cultus in te mei, ſingulariſque
ſeruantiæ, nulla hactenus meis a
litteris ſignificatio exſtiterit, id potius
quadam ingenuitate pudoris, quàm o
declarandi voluntate accidit. Multa
cùm Anconæ in ædibus Comitis Pro
Bonarellii eſſem, ſermoque de Viris
ſtribus fortè incideret, de tua eximia v
te, ac preſtantiſsima tui nominis laud
diui, quæ tum me mirificè ad tui amo
cum ſummo obſeruantiæ meæ ſtudio co
ctum excitabant; ſed cùm inde facta
Æde Lauretanæ Virginis pietate Ron
proficiſcerer, neque ſe publica teſtifica
amo

amoris mei occaſio offerretur, ad hoc vſque tempus tacito quodam animi affectu coluiſſe te ſemper, obſeruaſſeque. Nunc verò cum ſummo terrarum Principi Alexandro Septimo Hymnos de Diuo Thoma Villanouano, eximio totius Auguſtiniani Ordinis ornamento, inſcriberem, gaudeo mihi poſſe fieri, quòd vnà cum hoc meo erga Sanctiſſimum Pontificem obſequio ſeſe pulcerrima obtulerit opportunitas, qua aliquos veteris mei cultus, amoriſque erga te me officia palam poſſim exprimere, atque propius hoc meo religionis ſtudio in Diuum Thomam teſtarer. Pro tua igitur eximia humanitate hos meos conatus in laudem Diui, tot atque Auguſtinianæ Religionis, quam tu, Reuerendiſſime Lanfrancone, tum ſummæ ſeduli pietatis, tum maxima tuæ prudentiæ ac doctrinæ laude cum læto omnium applauſu moderaris, accipe tamquam meos, quod ab eo homine proficiſcitur, qui cultu, amore, & obſeruantiâ tibi in primis deditiſſimus eſt, & ſincero amore Ordinem, in quo meus frater germanus tibi, & Deo militat, proſequitur. Deus tibi & longam incolumitatem, & digna tuis ſummis virtutibus præmia, vt ex animo opto, augurorque, elargiatur, ſimulque inpoſterum pro tua inſigni beneuolentia vt ſinas tua quoquè dignum haberi amicitia, valde opto. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Septembris 1665.

 Cla.

ine officio-
aque obſer-
um è ſeruet,
net. Vale.
1665.

---

o Viro
INIATI.

Lucam.

n miſſitandis
nur, dilati in
am hac lege
oſſeſſione
ona fide ta-
ra iocum,
s, nō amoris
e. Cur in-
giendi labo-
rem obliuio
, quàm de-
abor iamdiu
occupatiſſi-
ſiduus, qui
t. Cur tan-
nulla ſolida
ſita quadam
, quibus te
ſimo tempo-
deor, vt ſo-
amiciſſimo
d tacuimus
aliquid luſi-
mus

Clariſſimo Viro

SFORZÆ FROSINIO I.C.

Romam.

MItto cum his hominibus Luſitanis quæ nuper in Diui Thomæ Villanouani laudem Sanctiſſimo Pontifici Alexandro Septimo inſcripſi, triginta exemplaria, quæ a tuo Nepote Thoma Anſaldio, optimę ſpei, atque indolis adoleſcente, cum mirifico omnium plauſu, quòd is tam viuidè, & ani mosè omnia enũtiaret, excepta fuere. Ea velim pro vetere tua in me beneuolentia, & eximia humanitate, Romanæ Aulæ Proceribus, alijſque isthic clariſſimis Viris diſtribuas, non quidem quòd ea res tanti ſit, quã ego planè tenuem & exilem eſſe confiteor, ſed vt Diui Elogium vel cum imbecilli conatu, dummodo pio, euulgetur. Iam ante Summo Pontifici, Principi Chiſio, Illuſtriſſimiſque Ralpono, Lanfranconio, & Abbati Gradio ſua cum meis litteris exemplaria perferẽda curaui. Paulò poſt Idus Septẽbres Diui Thomæ Villanouani Feſtiuitas illic celebrabitur. Si tuę res opportuna vi debatur prudẽtię, ipſa Feſtiuitatis luce poſſes aliqua exẽplaria qui Arã Diui inuiſẽt Cardinalibus exhibere; ſed omnia tuo ſingulari iudicio pmittimus. Animus meus erat venerationis obſequia Illuſtriſſimo ac Clariſſimo Viro Abbati Bracceſio meis in primis litteris teſtari; ſed vt nouus homo, & aduena, non fui auſus tot ſolidis, grauiſſimiſque tanti Viri negotijs me nuda obſequij inanitate obtru-

dere; cui tamen velim meo nomine officioſiſſimam cum omni cultu, meaque obſeruātia ſalutē dicas. Deus te incolumē ſeruet, & in Vrbe Domina breui fortunet. Vale.

Piſis pridie calendas Septembris 1665.

Illuſtriſsimo, & Clariſſimo Viro

IOANNI BAPTISTÆ SAMINIATI.

Lucam.

SI vt in fundō, ita quoquè in miſſitandis litteris præſcriptione vteremur, dilati in tam longum tempus officij cauſam hac lege tuerer, qui iam quaſi videar poſſeſſionē ſilentij in tuto collocatus, & bona fide taciturnitatem poſſidere. Sed extra iocum, Clariſſime Saminiati, ceſſauimus, nō amoris in te mei, non cultus remiſſione. Cur inquis, obliuione? inertia? an defugiendi laboris cauſa? nulla ex iſtis. In amorem obliuio non cadit, qui nunquam magis, quàm deſiderio abſentium deflagrat. Labor iamdiu iiſdem mecum ædibus habitat occupatiſſimus hoſpes, vigil, pernox, aſſiduus, qui nullam tecto ignauiam admittit. Cur tandem? quod nefas putaui, cùm nulla ſolida argumenti materies eſſet, quæſita quadam inanitate officij rebus tuis ſerijs, quibus te quotidie occupari ſcio, alieniſſimo tempore interuenire. Nunc mihi te videor, vt ſolebam olim, coram aſpicere, & amiciſſimo riſu me prenſare, ac quicquid tacuimus vtrimque diluere. Etiam nunc aliquid luſimus

mus,ſed tenue, & exile, quod neſcio an tuo poſſit acutiſſimo iudicio probari, etſi tuo in me amori, ac beneuolentiæ probetur. Quicquid id eſt, mittendum tibi vel hoc ſolo nomine putaui, vt ſaltem eſſet meæ in te veteris obſeruantiæ,ac cultus, nouum quodammodo pignus,ac monumẽtum.Hoc igitur, quo vultu mea omnia ſoles, libens cape. Ericij Puteani Cometam remitto,quodque humaniſſimè commodandum putauiſti, ſummas, & immortales habeo gratias. Belgam, qui te vnicè, & maximè colit, atque obſeruantiſſimè amat, pro tua inſigni beneuolentia redama, & tuo iſthic patrocinio aduerſus, ſi qui adhuc ſuperant, hoſtes cõplectere, quod te tua quoquè ſponte libentiſſimè facturum confido. Vale ſoſpes ad multo plura, quàm vixit Neſtor ſæcula.

Piſis tertio idus Septembris 1665.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
MARIO FLORENTINIO

Lucam.

DIſtuli ad hoc vſque tempus, quæ antea frequentius vſurpare ſolebam, mea ad te ſcribendi officia repetere, non quòd meus in te amor ac obſeruantia vllo vnquã tempore imminui, aut remitti poſſit, ſed quòd me vano & nudo rerum argumento tua ſeria interpellare negotia pigeret. Nunc qui-

quidem, & ſi leuiſſima cauſa adductus, ſcribo, tum vt meum tibi cultum cum eximio amore coniunctum teſtarer, tum etiam vt hunc qualemcumque laborem in pignus meæ veteris obſeruantiæ acciperes. Res quidem non tanti eſt, vt à te acerrimo iudicio prædito legi magnopere mereatur; ſed tamen eiuſmodi, cui pro tua ſingulari humanitate ignoſci alibi poterit, vbi minus ad antiquitatem, nitoremque priſci æui accedimus. Suum quoquè exemplar Illuſtriſſimo tuo Patri addidi; cui meo nomine cum omni meo cultu & obſeruantia ſalutem velim officioſiſſimam ſignifices, dum tibi cultus mei, amoriſq; æternitatem, ideſt quamdiu in hoc curriculo vitę eſſe continget, ſpōdeo; optoque omnibus votis vt Diuina bonitas omnia tua conſilia in longiſſimo ſpatio viuendi fortunet. Vale.

Piſis tertio idus Septembris 1665.

Eruditiſſimo, ac Præſtantiſſimo Viro
VINCENTIO DE PODIO
è Congregatione Clericorum Matris Dei.

Lucam.

CVm de tuo conſtantiſſimo amore, ac ſingulari quadam, quam olim expertus fui, beneuolentiâ dubitarim nunquam, nimio mihi tum humanitatis tuæ, tum purgandi tui exceſſu in ipſo tuarum limine pec-

care viſus es ; quin ego ipſe eodem planè nomine tibi purgandus fui, qui cùm cogitarem amorem, qui conſtantia niteretur, etiam ſilenti obſequio litterarum intermori non poſſe, ſilui hucvſquè, non tam meâ voluntate, quam eius, quod ſeſe non offerret opportunitate argumenti. Atque adeo vtrinque ceſſatum ab officio, ab amore non fuit. Quas tu porrò laudes in me tam cumulatè, tam benignè congeris, eas video à tuo iſto vetere erga me amore, ac eximia beneuolentia proficiſci; tuo autem ſingulari iudicio (ſum enim meæ mihi conſcius imbecillitatis) attribuere non poſſum. Tuo enim fœliciſſimo ingenio, & acutiſsimo præ cęteris omnibus iudicio adſcribi debet, quódcumque tam humaniter, ac beneuolè a te mihi video imputari, cui ſolummodo conatus aliquis, & optima benemerendi de auditoribus voluntas concedi debet; cætera omnia elegantiarum ornamenta, quæ video in te ſumma eſſe, tibi ipſi vindicaſti. Id tamen mihi longè gratiſſimum eſt, quòd me ſciam à te amari, meique apud te nominis memoriam vigere. Hymnum Diui Thomæ Villanouani hìc habes. Clariſſimis Viris Dezę, ac Beuerinio bina exemplaria cum officioſa ſalute, & eximio cultu, meo nomine dabis. Tu verò, mi optime, ac ſuauiſſime Vincenti, plurimum a me ſalue, & excuſa ſi aliquanto ſerius tuis elegantiſſimis litteris reſpondeo. Vale.

Piſis tertio idus Septembris 1665.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN.

Florentiam.

A Gradio Abbate nihil adhuc litterarum Roma accepi; tamen mea iſthuc exẽplaria perueniſſe ex Lanfranconij epiſtola, cui, vt toti Eremitarum Ordini Præfecto, exemplar quoquè perferendum addideram, facilè cognoui. De rerum mearum exitu, vt ſcribis, ſpero etiam, & confido fore, vt annuente Sereniſſimi Auguſti clementia hic Piſis aliquid ſtatuatur. Meum poematium, quod in natalem Sereniſſimi Principis lucubraui, poteſt quotidie typis ſubijci. Iam epiſtolam nuncupatoriam Principi Chiſio Cardinali Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII. Nepoti exaraui. tu quid cenſes? nuncnè, an cùm aduenerit Sereniſſima Aula imprimimus? fac tui obſecro me conſilij, immò arbitrij certiorem. Dedicatio alij Principi, quam Chiſio, cui iam duos ante annos ſim obſtrictus, fieri non poteſt; exiſtimoque fore, vt ea res Auguſtæ Celſitudini Principum non diſpliceat. Alioqui animus erat Chriſtianiſſimo Regi Gallarum inſcribere: Me quoquè affectæ valetudinis tuæ mæror, rerumque domeſticarum incommoda, vt amiciſſimum hominem decet, moleſtiſſimè affecerunt; ſed cùm vtraque in manu noſtra eſſe non poſſint, & ſolùm a Diuino nutu pendere cognoſcamus, conſtante tranquillitate animi ferre, & pati omnia

hymno celebrandas ſuſcepi, quas Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro VII. eo maximè titulo inſcribendas putaui, quòd & is Princeps omnium ante hac Pontificum Romanorum longè maximus, & in bonas artes propenſiſſimus, hunc Antiſtitem ſuæ Hiſpaniæ, & totius Europæ egregium decus, Cælitibus aſcripſit, meoſque conatus aliquid in Sanctos Cælites pangendi tam prono de meis numeris iudicio honeſtauit. At tibi, qui mihì iam toties tam facili humanitate, tam mira propenſione, cùm mea nulla vnquam merita anteceſſerint, ita faues, quid reponam? Obſeruantiæ, amoris, meique in te cultus perpetui ſtudia. Addò & preces, vt Diuina clementia pro tua iſta tam inſigni, & egregia in probos homines voluntate, ipſa te digniſſimo præmio, ſummis tuis virtutibus debito, remuneretur. Rogo itaque, humaniſsime Gradi, vt pro tuo ſingulari in litteras, cultoreſque litterarum amore, hæc ipſa exemplaria meo nomine partim Summo Pontifici, Principi Chiſio, partim Illuſtriſſimo Raſpono, & Lanfranconio totius Auguſtianæ familiæ Rectori exhibeas, meque enixè Sanctiſſimo in terris Principi, eiuſque munificæ pietati commendes. Gratias porrò tibi ſũmas & immortales habeo, quòd litteras à Principe Chiſio tam honorificè de mea imbecillitate cum Summi Pontificis elogio ſcriptas te potiſsimũ adiutore acceperim. Deus Optimus Maximus, quæ ego maximè opto, tibi digna retribuat

pre-

premia, & a me obſeruantiſſimo tui nominis cultore ſalue, & vale diutiſſimè ſoſpes vltra Priami, & Neſtoris annos.

Piſis ſeptimo calendas Septembris 1665.

Sanctiſſimo Domino Noſtro, Domino
ALEXANDRO VII.
Pontifici Optimo Maximo.

Romam.

SIne obſecro, Sanctiſſime Præſes terrarum Alexander Septime Pontifex Maxime, hos etiam conatus ad Apoſtolica Quirinalis Palatij limina propiùs accedere. Aditus ſecundos mihi pietas argumenti, tuæq; Clementiſſimæ Maieſtatis humanitas promittit, quę licèt quotidiè grauiſſima humani Generis momenta tractet, tum ſummam rerum ſuſtineat, tum terras æquo imperio moderetur, ac tueatur, ſe tamen ex illo alto rerum humanarum apice ad priuata deſideria mortalium benignè impertit, indulgetque. Qua ego fiducia fretus, libato prius ad Sanctiſsimos pedes oſculo, hoc munuſculum, exile quidem, & tenue, ſed quod a grato proficiſcitur animo, Beatitudini tuæ in humillimi obſequii pignus exhibeo, meiſque precibus à Deo Optimo Maximo ardentiſſimè flagito, vt tua Sanctitas diutiſſimè Orbi terrarum incolumis præſit; quo in voto tua mihi digne-

tur

tur Beatitudo Apoſtolicæ Benedictionis gratiam elargiri. Vale.

Piſis ſeptimo cal. Septemb. 1665.

Beatitudini Tuæ

Humillimus, deuinctiſſimuſq. Seruus
Petrus Adrianus Vandé Broecke Belga
a Tenaramonda ex Epiſcopatu Gãdēſe

Reuerendiſſimo Patri
PETRO LANFRANCONIO
Totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Priori Generali.

Romam.

ETſi cultus in te mei, ſingulariſque obſeruantiæ, nulla hactenus meis ad te litteris ſignificatio exſtiterit, id potius mei quadam ingenuitate pudoris, quàm officii declarandi voluntate accidit. Multa enim cùm Anconæ in ædibus Comitis Proſperi Bonarellii eſſem, ſermoque de Viris illuſtribus fortè incideret, de tua eximia virtute, ac pręſtantiſsima tui nominis laude audiui, quæ tum me mirificè ad tui amorem cum ſummo obſeruantiæ meæ ſtudio coniũctum excitabant; ſed cùm inde facta in Æde Lauretanæ Virginis pietate Romam proficiſcerer, neque ſe publica teſtificandi amo-

amoris mei occaſio offerret, ad hoc vſque tempus tacito quodam animi affectu colui te ſemper, obſeruauique. Nunc verò cùm ſummo terrarum Principi Alexandro Septimo Hymnum de Diuo Thomà Villanouano, eximio totius Auguſtiniani Ordinis ornamento, inſcriberem, gauiſus mihi ipſi fui, quòd vnà cum hoc meo ergà Sanctiſſimum Pontificem obſequio ſeſe pulchra obtulerit opportunitas, quà nunc veteris mei cultus, amoriſque erga te mei officia palam poſſim exprimere, teque propius hoc meo religionis ſtudio in Diuum Thomam reuereri. Pro tua igitur eximia humanitate hos meos conatus in laudem Diui, totiuſque Auguſtinianæ Religionis, quam tu, Reuerendiſſime Lanfranconi, tum ſummæ ſtudio pietatis, tũ maxima tuæ prudentiæ ac doctrinæ laude cùm læto omnium applauſu moderaris, accipe tamquam munus, quod ab eo homine proficiſcitur, qui cultu, amore, & obſeruantià tibi in primis deditiſſimus eſt, & miro amore Ordinem, in quo meus frater germanus tibi, & Deo militat, proſequitur. Deus tibi & longam incolumitatem, & digna tuis ſummis virtutibus præmia, vt ex animo opto, augurorque, elargiatur; meque inpoſterum pro tua inſigni beneuolentia vt ſinas tua quoquè dignum haberi amicitia valde opto. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Septembris 1665.

Clariſſimo Viro

SFORZÆ FROSINIO I.C.

Romam.

MItto cum his hominibus Luſitanis quæ nuper in Diui Thomæ Villanouani laudem Sanctiſſimo Pontifici Alexandro Septimo inſcripſi, triginta exemplaria, quæ a tuo Nepote Thoma Anſaldio, optimę ſpei, atque indolis adoleſcente, cum mirifico omnium plauſu, quòd is tam viuidè, & ani mosè omnia enũtiaret, excepta fuere. Ea vęlim pro vetere tua in me beneuolentia, & eximia humanitate, Romanæ Aulæ Proceribus, aliiſque iſthic clariſſimis Viris diſtribuas, non quidem quòd ea res tanti ſit, quã ego planè tenuem & exilem eſſe confiteor, ſed vt Diui Elogium vel cum imbecilli conatu, dummodo pio, euulgetur. Iam ante Summo Pontifici, Principi Chiſio, Illuſtriſſimiſque Ralpono, Lanfranconio, & Abbati Gradio ſua cum meis litteris exemplaria perferẽda curaui. Paulò poſt Idus Septẽbres Diui Thomæ Villanouani Feſtiuitas illic celebrabitur. Si tuę res opportuna videbatur prudẽtię, ipſa Feſtiuitatis luce poſses aliqua exẽplaria qui Arã Diui inuiſẽt Cardinalibus exhibere; ſed omnia tuo ſingulari iudicio ꝑmittimus. Animus meus erat venerationis obſequia Illuſtriſſimo ac Clariſſimo Viro Abbati Bracceſio meis in primis litteris teſtari; ſed vt nouus homo, & aduena, non fui auſus tot ſolidis, grauiſſimiſque tanti Viri negotijs me nuda obſequij inanitate obtru-

dere ; cui tamen velim meo nomine officioſiſſimam cum omni cultu, meaque obſeruātia ſalutē dicas. Deus te incolumē ſeruet, & in Vrbe Domina breui ſortunet. Vale.
Piſis pridie calendas Septembris 1665.

Illuſtriſsimo, & Clariſſimo Viro
IOANNI BAPTISTÆ SAMINIATI.

Lucam.

SI vt in fundo, ita quoquè in miſſitandis litteris præſcriptione vteremur, dilati in tam longum tempus officij cauſam hac lege tuerer, qui iam quaſi videar poſſeſſione ſilentij in tuto collocatus, & bona fide taciturnitatem poſſidere. Sed extra iocum, Clariſſime Saminiati, ceſſauimus, nō amoris in te mei, non cultus remiſſione. Cur inquis, obliuione? inertia? an defugiendi laboris cauſa? nulla ex iſtis. In amorem obliuio non cadit, qui nunquam magis, quàm deſiderio abſentium deflagrat. Labor iamdiu ijſdem mecum ædibus habitat occupatiſſimus hoſpes, vigil, pernox, aſſiduus, qui nullam tecto ignauiam admittit. Cur tandem? quod nefas putaui, cùm nulla ſolida argumenti materies eſſet, quæſita quadam inanitate officij rebus tuis ſerijs, quibus te quotidie occupari ſcio, alieniſſimo tempore interuenire. Nunc mihi te videor, vt ſolebam olim, coram aſpicere, & amiciſſimo riſu me prenſare, ac quicquid tacuimus vtrimque diluere. Etiam nunc aliquid luſi-

mus,ſed tenue, & exile, quod neſcio an tuo poſſit acutiſſimo iudicio probari, etſi tuo in me amori, ac beneuolentiæ probetur. Quicquid id eſt, mittendum tibi vel hoc ſolo nomine putaui, vt ſaltem eſſet meæ in te veteris obſeruantiæ,ac cultus, nouum quodammodo pignus,ac monumētum.Hoc igitur, quo vultu mea omnia ſoles, libens cape. Ericij Puteani Cometam remitto,quodque humaniſſimè commodandum putauiſti, ſummas, & immortales habeo gratias. Belgam, qui te vnicè, & maximè colit, atque obſeruantiſſimè amat, pro tua inſigni beneuolentia redama, & tuo iſthic patrocinio aduerſus, ſi qui adhuc ſuperant, hoſtes cōplectere, quod te tua quoquè ſponte libentiſſimè facturum confido. Vale ſoſpes ad multo plura, quàm vixit Neſtor ſæcula.

Piſis tertio idus Septembris 1665.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro

MARIO FLORENTINIO

Lucam.

DIſtuli ad hoc vſque tempus, quæ antea frequentius vſurpare ſolebam, mea ad te ſcribendi officia repetere, non quòd meus in te amor ac obſeruantia vllo vnquā tempore imminui, aut remitti poſſit, ſed quòd me vano & nudo rerum argumento tua ſeria interpellare negotia pigeret. Nunc qui-

quidem, & ſi leuiſſima cauſa adductus, ſcribo, tum vt meum tibi cultum cum eximio amore coniunctum teſtarer, tum etiam vt hunc qualemcumque laborem in pignus meæ veteris obſeruantiæ acciperes. Res quidem non tanti eſt, vt à te acerrimo iudicio prædito legi magnopere mereatur; ſed tamen eiuſmodi, cui pro tua ſingulari humanitate ignoſci alibi poterit, vbi minus ad antiquitatem, nitoremque priſci æui accedimus. Suum quoquè exemplar Illuſtriſſimo tuo Patri addidi; cui meo nomine cum omni meo cultu & obſeruantia ſalutem velim officiociſſimam ſignifices, dum tibi cultus mei, amoriſq; æternitatem, ideſt quamdiu in hoc curriculo vitę eſſe continget, ſpōdeo; optoque omnibus votis vt Diuina bonitas omnia tua conſilia in longiſſimo ſpatio viuendi fortunet. Vale.

Piſis tertio idus Septembris 1665.

Eruditiſſimo, ac Preſtantiſſimo Viro
VINCENTIO DE PODIO
è Congregatione Clericorum Matris Dei.

Lucam.

CVm de tuo conſtantiſſimo amore, ac ſingulari quadam, quam olim expertus fui, beneuolentiâ dubitarim nunquam, nimio mihi tum humanitatis tuæ, tum purgandi tui exceſſu in ipſo tuarum limine pec-

care viſus es; quin ego ipſe eodem planè nomine tibi purgandus fui, qui cùm cogitarem amorem, qui conſtantia niteretur, etiam ſilenti obſequio litterarum intermori non poſſe, ſilui hucvſquè, non tam meà voluntate, quam eius, quod ſeſe non offerret opportunitate argumenti. Atque adeo vtrimque ceſſatum ab officio, ab amore non fuit. Quas tu porrò laudes in me tam cumulatè, tam benignè congeris, eas video à tuo iſto vetere erga me amore, ac eximia beneuolentia proficiſci; tuo autem ſingulari iudicio (ſum enim meæ mihi conſcius imbecillitatis) attribuere non poſſum. Tuo enim fœliciſſimo ingenio, & acutiſsimo præ cęteris omnibus iudicio adſcribi debet, quodcumque tam humaniter, ac beneuolè à te mihi video imputari, cui ſolummodo conatus aliquis, & optima benemerendi de auditoribus voluntas concedi debet; cætera omnia elegantiarum ornamenta, quæ video in te ſumma eſſe, tibi ipſi vindicaſti. Id tamen mihi longè gratiſſimum eſt, quòd me ſciam à te amari, meique apud te nominis memoriam vigerę. Hymnum Diui Thomæ Villanouani hic habes. Clariſſimis Viris Dezę, ac Beuerinio bina exemplaria cum officioſa ſalute, & eximio cultu, meo nomine dabis. Tu verò, mi optime, ac ſuauiſſime Vincenti, plurimum a me ſalue, & excuſa ſi aliquanto ſerius tuis elegantiſſimis litteris reſpondeo. Vale.

Piſis tertio idus Septembris 1665.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN.

Florentiam.

A Gradio Abbate nihil adhuc litterarum Roma accepi; tamen mea iſthuc exẽplaria perueniſſe ex Lanfranconij epiſtola, cui, vt toti Eremitarum Ordini Præfecto, exemplar quoquè perferendum addideram, facilè cognoui. De rerum mearum exitu, vt ſcribis, ſpero etiam, & confido fore, vt annuente Sereniſſimi Auguſti clementia hìc Piſis aliquid ſtatuatur. Meum poematium, quod in natalem Sereniſſimi Principis lucubraui, poteſt quotidie typis ſubijci. Iam epiſtolam nuncupatoriam Principi Chiſio Cardinali Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII. Nepoti exaraui. tu quid cenſes? nuncnè, an cùm aduenerit Sereniſſima Aula imprimimus? fac tui obſecro me conſilij, immò arbitrij certiorem. Dedicatio alij Principi, quam Chiſio, cui iam duos ante annos ſim obſtrictus, fieri non potuit; exiſtimoque fore, vt ea res Auguſtæ Celſitudini Principum non diſpliceat. Alioqui animus erat Chriſtianiſſimo Regi Galliarum inſcribere: Me quoquè affectæ valetudinis tuæ mæror, rerumque domeſticarum incommoda, vt amiciſſimum hominem decet, moleſtiſſimè affecerunt; ſed cùm vtraque in manu noſtra eſſe non poſſint, & ſolùm a Diuino nutu pendere cognoſcamus, conſtante tranquillitate animi ferre, & pati omnia

debemus, quæ nobis mortalibus, quamuis prẹter ſpem, non tamen prẹter naturam obtingunt. Sed hæc talia multo vberius, vbi te hic cum Aula videbimus. Tuam interim valetudinem tuere, Vale.

Piſis quarto idus Nouembris 1665.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D.
STEPHANO ABBATI GRADIO

Romam.

CVm annuæ pietatis meæ obſequia, Illuſtriſſime Gradi, etiam nunc cuperem tum Sanctiſſimo Pontifici, tum Eminentiſſimo Principi Chiſio deferre, optimum factu putaui, ſi me voã fide, & veteri promiſſione exoluerem, meumque poematium in Sereniſſimi Principis Hetruriæ natalem in mei cultus; obſeruantiæque, tenue quidem, ſed quod a candida indole proficiſcitur, pignus Principi Chiſio mitterem, meiſque litteris tenuibus aliquam gratiam à muuuſculi, ſi qua eſt, gratia conciliarem. Hic me rurſus tuæ eximiæ bonitati totum ſiſto, rurſuſque quammaximè oro, vt pro tua iſta ſingulari, & mirifica humanitate, qua mihi iã ſẹpè in concilianda gratia Summi Principis terrarum fauiſti, hunc nouum denuò laborem ſuſcipias; quæque exemplaria faſciculo incluſi, digneris meo nomine Suæ Sanctitati, Principi Chiſio, & Illuſtriſſimo Raſpo-

ſpono exhibere, tibique vnum in meæ venerationis, ac obſeruantiæ pignus retinere. Vtinam ea mihi a natura fœlicitas obtigiſſet, vt meo tibi ſtudio ac opera, paria quoquè humanitati tuæ obſequia prę̃ſtare poſſim! Sed id cùm deſit, meo ſaltem aſſiduo in te cultu, perpetuáque beneficiorũ, quæ in me contuliſti, memoria compenſabo; nequè deſinam Numen, vt te omnibus bonis, quæ optari poſſint, pro ſua clementia accumulet, precari. Exemplaria Diui Thomæ Villanouani ex litteris, quas a Reuerendiſſimo Lanfranconio habui, te accepiſſe cognoui. Dilatæ reſponſionis gratiã, quæ neque priuatis obſequijs debetur, in grauiſsima rerum humanarum negotia, quæ quotidiè in Sacratiſſima Aula tractantur, reijcio. Nunc fortaſſis idoneo loco & tẽpore, te vnico rerum mearum adiutore, aliquid à generoſa, & munifica pietate Summorum Principum eliciam. Qui impendẽt ſanctiſſimi dies natalitii, eos tibi multò fœliciſsimos opto, totoque animo voueo, vt hoc nouo exoriente anno nouus quoq; tuis ſummis meritis honos accedat. Vale.

Piſis decimo ſeptimo calendas Ianuarias 1665

Sanctiſsimo Domino Noſtro
ALEXANDRO VII.
Pontifici Optimo Maximo.

Romam.

RVrſus, Beatiſſime Præſes terrarum Alexander Septime Pontifex Maxime, annuæ pietatis obſequia cum obſeruantiſſimo cultu, & ſumma demiſſione coniuncta Beatitudini tuæ perſoluo; rurſuſque abſenti oſculo ad Sanctiſſimos Pedes prouoluor, tuamque maieſtatem toto animo, ac cogitatione abſens veneror. Quòd verò tua Sanctitas dignata ſit meos ſubinde numeros, conatuſque pangendi audire, commendare, & mihi inſuper Apoſtolicæ benedictionis gratiam elargiri, quid rependam? agamnè ſummas, maximas, & immortales gratias? ago, debebo. Sed hæc omnia elegantiarum nomina mutentur in meas preces, quibus aſſiduè ab omnipotenti Numine efflagito, & deinceps efflagitabo aſſiduè, vt Sanctitas tua in totius Europæ quietem, & Chriſtianæ Republicæ commoda, diutiſſimè incolumis habenas terrarum moderetur. Hoc quoquè poematium in natalem Sereniſſimi Principis Hetruriæ Eminentiſſimo Principi Flauio Cardinali Chiſio Beatitudinis tuæ Nepoti inſcriptum, tuæ in primis Sanctitari mittendum putaui, vt nuditas litterarum hoc quaſi munuſculo veſtita decentius ipſa limina Vaticana ingrediatur. Quæ magna natalitia ſolemnitas imminet, ea ex intimo corde

corde

corde voueo, optoq; vt Beatitudini tuæ ſæpius & ſæpius cum multa & multa annorum inequentium ſerie recurrat. Vale.

Piſis pridie idus Decembris 1665.

Beatitudini Tuæ

Humillimus, Deuinctiſſimuſq; Seruus
Petrus Adrianus Vanden Broecke Belga
a Tenaramonda ex Epiſcopatu Gādēſi.

Eminentiſſimo Principi
FLAVIO CARDINALI CHISIO
Sanctiſſ. D.N. Alexandri VII. ex fratre Nepoti.

Romam.

QVas mente ac animo meo gratias, Eminentiſſime Princeps, ſæpe habui, eas nunc, cùm maximorum Principum ædes iterum communis pietas ad excipienda a cliētibus vota, fauſtaſque precationes aperuit, litteris ſummas tibi, & maximas habeo, qui me iam aliquoties & litterarum fauore dignatus es, & plurimum tum Sanctiſſimi Domini Noſtri Patrui tui Alexandri Septimi Pontificis Maximi tam prono de mea tenuitate iudicio, tum tua ipſe laude, ac commendatione honeſtaſti. Sed leue nomen gratiarum eſt ad tam altam & raram humanitatem; preces aſſiduas, cùm aliud non poſ-

poſſim, apud Summum Numen pro tua longæua incolumitate repono. Tum hos qualeſcumque conatus in natalem Sereniſſimi Principis Hetruriæ ſola tui nominis inſcriptione pretioſos in meæ pignus obſeruantię, vtinam & amoris, & venerationis meæ perenne monumentum, libens cape. Quæ verò imminet magna lux natalitia Numinis, illa omnibus votis opto, vt tibi cum noua renaſcentibus annis fælicitate, ad ea ſpatia, quæ poteſt vlla ætas mortalis viuendo attingere, nouo ſemper ſplendore affulgeat. Vale

Piſis idibus Decembris 1665.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, deuinctiſſimuſq; Seruus
Petrus Adrianus Vanden Broeche Belga à Tenaramonda ex Epiſcopatu Gandenſi

---

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D.
CÆSARI RASPONO.

Romam.

SVmmoperè gauiſus fui ea rurſus tempora illuxiſſe, quibus & patroni ſua ſolent limina clientibus aperire, ſeque audiendis precationibus fauſtis indulgere; ipſique clientes ſinè metu interpellandi ſua poſſunt obſequia litterarum patronis miſſitare. Nũc itaque, quas meo hactenus animo continui,
tibi

tibi ſummas & immortales gratias habeo, quòd me non modò officiosè elegantiſſima humanitate tuarum proſequi dignatus es, ſed tua quoquè laude & commendatione ornandum ſuſcepiſti. Erubui meæ mihi cōſcius imbecillitatis; nam is ego, Vir Ampliſſime, non ſum, qualem pro tua rara & eximia humanitate prædicas; conor quidem animoſo labore aliquid in pangendis numeris tentare; ſed cùm illos veteres aſpicio, animus mihi cadit, & calamus: tamen tibi cultiſſimo omnium elegantiarum Promocondo & arbitro placuiſſe eo apud me loco eſt, quo illę eſſent laudes, quas, ſi mereri poſſim, ore totius Italiæ acciperem. Dabo igitur operam, vt tuo poſſim tam beneuolo iudicio, ſeu potius optimæ in meos conatus propenſioni deinceps reſpondeam. Immo nunc aliqua in Sereniſſimi Principis Hetruriæ natalem luſimus, quæ his vnà litteris, vt earum nuditas hoc quaſi venerationis meæ munuſculo tegeretur, annectenda putaui. Neque dubito, quin ſolita ſerenitate vultus & exile obſeruantiæ meæ pignus, & me in illo tuæ præſtantiſſimæ virtuti, ſummiſque meritis, ac nono tuæ gloriæ incremento deditiſſimum accipies. Qui porrò imminent ſacratiſſimi dies natalitij, illi vt tibi multo fortunatiſſimi eueniant, ex intimo corde opto, voueoque vt tua nunc ampliſſima merita cum hoc nouo exoriente Sydere nouo quoquè fulgore Purpuræ illuſtrentur. Id-ò boni Superi nūc

ò nunc efficite, tum incolumis vitæ ſpatia vltra Neſtorem protrahite. Vale Illuſtriſſime Cæſar, notum pridem Italię, & Europę decus.

Piſis ſeptima calendas Ianuarias 1665.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Stephanus Gradius.

Piſas.

PVdet me non mediocriter meæ ruſticitatis, quòd ad priores litteras tuas tam diu reſponſum dare diſtulerim; & ne nunc quidem ſatis diligens officij videor debiti humanitati erga me tuæ; ſed dum vereor ne minus acceptæ ſint tibi meæ litterę ſi vacuę eius fructus, quem debitum virtuti & doctrinæ tuæ iudico, perferantur (quamquã in eo procurato non ceſſo) feci ſanè non eleganter, quòd ſilui tamdiu, eoque magis quòd nondum mihi licet voto hac de re meo ſatisfacere. Scito iterim litteras tuas, itemque verſiculos lectos fuiſſe, & non mediocriter commendatos Sanctiſſimo Pōtifici; fuiſſeque propoſitum teſtandi aliquo quamuis exiguo munuſculo huius de te iudicij. Sed interuenit hac æſtate moleſtus, quo Sua Sanctitas tentata eſt, morbus, qui alias intulit curas, nec priores cogitationes poſt multum deinde interualli reuocare facile fuit apud aures Summi Principis, quæ,

vt

vt probè noſti, faſtidioſæ eſſe ſolent. Expectatur opportunitas perferendi huius alterius opuſculi, & aliquid operæ pretij, ſi fieri poterit, faciendi. Cæterùm ego plurimum debeo humanitati tuæ, quam in litteris ad me datis luculentam erga me teſtaris; doctrinam, elegantiam, copiam poematum tuorum admirandi nullũ finem facio. Quodque mihi proſperum ingredientis anni curſum auguraris, gratias tibi quàm poſſum maximas habeo; teque inuicem diu valentem, & incolumem, & vberrimum optimarum tuarum artium fructum capientem, eſſe cupio. Vale, & me, vt facis, ama.

Romæ decimo ſexto calend. Februarias 1665

Legas quęſo quem ad te hic mitto Muſę meę conatum; ſed cum hac exceptione, vt elegantiam, & ſpiritũ tuæ paulìſper obliuiſcaris.

In Emblema apponendum editioni Latinæ Hiſtoriæ Concilij Tridentini Cardinalis Pallauicini, quod Aquilã, quæ eſt Authoris Stẽma, repræſentat cum Dracone inter vngues reſpiciente ad Solẽ, in quo Sanctiſſimũ IESV Nomen refulget.

ODE.

Montium præpes, nemorumque cultor,
Ætheris celſi decus, ô miniſter
Impios certo ferientis ictu
Fulminis Ales.

Qui

Qui Viris clarum, titulisque priſcis
Sfortiæ magni genus, atque ſtirpem, &
Miſſa per longas ſeries Auorum
Stemmata ſignas.

Perge vbi pulchra generoſus ardor
Te dapis dudum tenet, atque pugnæ
Splendidum victor ſolito ciere in
Puluere Martem.

Pergè Diuini radios tuendo
Solis & roſtro lacerare, & angui
Si quid inuiſi Superis Colubri
Reſtat inultum;

Tuta vt à fœdo pietas vapore
Splendeat caſtis operata templis,
Teter & puras odor inquinare
Deſinat auras.

Non vides quanta tibi mole præſens
Auxili Cœlum faueat? verendo
Sol tuus latè Superis, & imis
Nomine fulget.

Hoc Duce inſuetum per iter citatas
Explicas primæ inter operta Cauſæ
Arduus pennas, penetraſque ſummi
Limina veri.

Nota iam pridem hic tibi tela, & acres
Sufficit cordi intrepido fauillas
Hoſtium tergo bene ſæpè notas
Sufficit iras.

Sed quid immites mea Muſa pugnas,
Sæua quid fruſtra meditaris arma?
Vicimus: primo ferus hoſtis olim
Concidit ictu,

Concidit latè. Volucremque Dium

Auxit

Auxit æterno domitus trophæo,
Et nouum aſſerti radiare fecit
Sydus Olimpi.

Tale Cyrrhei Domitor Draconis
Rettulit Palma decus, & Gigantum
Impios ſæuo iaculatus igne
Iuppiter auſus.

Cùm ferox Terra ſata matre Pubes
Preſſit inſano Superos duello, &
Dirus è fœda ſanie cadentum
Extitit Anguis.

Talis in Dacos vtinam Scbytaſque
Italas Virtus animaret haſtas,
Tamque terrenos rueremus acri
Impete in hoſtes.

Barbara haud vltrà gemerent cathenæ
Græciæ pingues, Aſiæque campi,
Et ſacris læti fluerent Latini
Nilus, & Iſter.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE
Eloquentiæ in Piſano Gymnaſio Profeſſori.

Cæſar Raſponus.

Piſas.

ACcepi, & legi perlibenter humaniſſimam ſalutationem tuam, & vota, quibus doctè & eleganter proſpera & læta in-

ingredientis anni initia mihi auguraris; eaque cauſa ſingulares tibi ago gratias. Legi præterea verſiculos, quos ad me mittis, Sereniſſimi Coſmi Magni Principis laudibus inſignes; quos ego quidem pulcherrimæ materiæ à te ſuſceptæ planè reſpondentes exiſtimo. Summo certè iure debita ſunt hęc, & huiuſmodi decora veteribus, nouiſque huius Clariſſimæ Familiæ de re litteraria meritis, ac rarò alio in puluere exerceri laudabilius poſſunt pręclara huius ætatis ingenia. Qua in re à te ſuas agi partes pro dignitate ex animo tibi gratulor, teque ea de cauſa plurimum amo, magnique facio, meque tuis commodis paratiſſimum profiteor. Vale.

Romæ decimo ſexto calend. Februarij 1666.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Stephanus Gradius.

Piſas.

CArmen tuum illuſtri Sereniſſimorum iſtorum Principum præconio nobile quàm probatum, laudatumque fuerit Sanctiſſimo Pontifici Alexandro, & litteris Eminentiſſimi Chiſij, quas ad te mitto, intelliges; quamque item gratum Eminentię ſuæ acciderit officium eruditi opuſculi ſuo po-

potiſſimum nomini inſcribendi. Qua ſanè ille re ſe in partem laudis vocatum exiſtimar, quam tractando tam ſplendido argumento abundè conſequutus videris. Accedit munus Numiſmatis, quo te ornare voluit humaniſſimus Princeps, non tam auro ſuo, quàm dignitate imaginis, quam præfert, & paternæ erga te beneuolentiæ ſignificatione pretioſum. Gratulor ego tibi ex animo hũc honorem, quem minimè vulgarem, & viris doctrina, & eruditione præſtantibus haberi ſolitum ſcias. Hinc ego certo ſcio acceſſuros ingenio tuo non mediocres ſtimulos intendendi optimarum Artium ſtudij, in quo cum magna tua & inſignis Academiæ iſtius gloria tamdiu verſaris. Vale Vir Clariſſime, meque obſequio tuo paratiſſimum eſſe, ſemperque futurum tibi perſuade.

Romæ quarto calendas Martij 1656.

Perilluſtri Domino
D. PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE
Eloquentiæ Profeſſori.

Piſas.

PErilluſtris Domine. Pro paterna charitate erga te ſua excepit Sanctiſſimus Dominus Noſter recentem Musæ tuæ fœtum, & fauſtas precationes. Vtrumque laudauit, quorum in altero ingenium, & eruditionē; in altero pietatem, obſeruantiamque tuam li-

libens agnouit. Quod vt pignore aliquo teſtetur, tibi Apoſtolicam benedictionem me interprete amanter elargitur, & aureum Numiſma, quod à Stephano Gradio Abbate accipies, eritque pro monumento Pontificiæ in te voluntatis: Vale, meque ingenji tui fautorem ſemper fore pro certo habe.

Romæ 30. Ianuarij 1666.

Dominationis Tuæ

Amantiſſimus
Flauius Cardinalis Chiſius.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FRANCISCO MARCHIONI COPPOLI
Magni Ducis Hetruriæ Cubiculi Præfecto.

Labrenem.

SI quid mihi vnquam in vita gratum accidit, id nunc in tuis, Vir Ampliſſime, litteris obtigit, quibus & me voti compotem, & munificentia Principis tua vnius ope ornatum eſſe intelligo. Ego hic quas dignas ſatis gratias habere non poſſum, eas tibi gratiſſima accepti beneficij memoria perpetuò debebo; meisque à Deo precibus efflagitabo; vt is pro hac tua ſingulari & eximia beneuolentia omnibus tuis votis & deſiderijs clementiſſimè aſpiret. Video

etiam

etiam, quæ tua mirifica humanitas eſt, te rerum mearum Lucenſium patrocinium ſuſcepiſſe; qua in re & mihi ob tuam in primis authoritatem gratulandum, & tibi, qui tua ſtudia tuendæ æquitati impertiris, iterũ gratias habendas puto, quas hic tibi cum prono venerationis cultu ſummas habeo; gau deboque non parum, ſi hanc quoquè abolitionis gratiam tuę eximiæ authoritati, ac fauori debebo. Litteras ab Eminentiſſimo Principe Chiſio octauo idus Martias Roma accepi cum Apoſtolica benedictione, & aureo Numiſmate, quod mihi Sua Sanctitas in ſuæ monumentum memoriæ miſit; eiuſq; aduerſaria epiſtolæ, vt aliquid noui Illuſtriſsimo tuo filio Abbati Alexandro mitteretur, hic incluſi. Te porrò quam obſeruantiſſimè oro, vt meo digneris nomine Auguſtæ Celſitudini Magni Ducis pro gratia illius, quod ſperamus annuum fore, ſtipendij gratias ſummas, maximas, & immortales habere; preces ego pro totius Sereniſsimæ Domus Tyrrhenæ incolumitate & incremento apud Deum Optimum Maximum adhibere non ceſſabo. Te verò, ò Sydus Hetruſcorum Procerum, Diuina Clementia diutiſſimè incolumem in publica, & priuata commoda mortalium tueantur. Illuſtriſſimis filijs tuis, Equiti Camillo, & Abbati Alexandro Marchionibus, officioſiſſimã ſalutem cum omni venerationis obſequio, meaque obſeruantia ſumma aſcribo. Vale.

Piſis quinto idus Martias 1666.

Illu-

Illuſtriſſimo, & Clariſſimo Viro
IOANNI BAPTISTÆ SAMINIATI.

Lucam.

Litteræ tuæ mihi multo iucundiſſimæ fuerunt, tum quòd ab amiciſſimo Patrono profectæ, tum quòd à chariſſimo fratre, altera tui imagine, perlatæ ſint; quo ego Iuuene nil humanius, nil elegantius, aut moderatius vnquam in omni Hetruſca Nobilitate obſeruaui. Quarto idus Martias litteras ex Aula Labronēſe à Marchione Coppoli ſua manu exaratas habui. Is omnia ſua ſtudia ac officia pollicetur, iamque Principi Decemuiro Ferranti Sbarræ ſcripſiſſet, niſi de vſu ac conſuetudine Summo Magiſtratui ſcribendi dubitaſſet. Res tamen meas Illuſtriſſimo Oratori Arnolfinio permeas amplè commendauit, quem ſe mihi deditiſſimum reperiſſe, neque ſuo patrocinio, gratia, ſuaque authoritate defuturum ſcribit. Vbi Aula aduenerit Piſas, efficiam (ſic Superis bene iuuantibus ſpero) vt a Sereniſſima Celſitudine Leopoldi non ſinè aliquo exiſtimationis meæ decore Ampliſſimo Legato Arnolfinio commender. Ego interim vtar oblata opportunitate, ac gratia amicorum, neque mea ſedulitas huic fœliciter conficiendo negotio vnquam deerit. Tuę porrò eximię humanitati, quas ſcis me animo cogitare, & exprimere non poſſe, gratias ſummas, cùm referre non poſſim, perpetuò debebo. A' tuo hinc diſceſſu octauo idus Mar-

Martias, litteras à Principe Cardinali Chiſio Roma accepi, cuius hic aduerſaria incluſi. Placuit Suæ Sanctitati Apoſtolicæ Benedictionis gratiam mihi denuò elargiri, & aureum Numiſma in ſuæ monumentum propenſionis mittere. Poematium Nuptiale pro inuictiſſimo Cæſare Leopoldo, & Auguſta Infante Hiſpaniarum pœne ad calcem perduximus; erit ea quaſi mole qua Doris Mediterranea fuit. Tu verò, ò ingés Muſarum, & Themidis Decus Saminiati, á Belga, tuo nomini ac gloriæ deditiſſimo ſalue, & vale ad æuum Neſtoreum incolumis.

Piſis decimo quarto calendas Aprilis 1666.

Clariſſimo Viro
PETRO MORRÆO
Ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini.

Piſtorium.

HÆcnè, inquis, officia reſpondendi tam ſera, biſque meis à te litteris quæſita nunc demum reddis? quærela tua iuſtiſſima eſt, ſed nec mea dilatio iniqua. Nihil enim magis optaui, quàm te, cùm præſens non poſſim, vicario munere litterarum alloqui. Sed hoc meum deſiderium neſcio quis ſæpè caſus irritum reddiderit. Animus meus erat, nè vacuæ meæ ad te litteræ peruenirent, nouum meum poematium, quod

quod in natalem Sereniſſimi Principis Hetrur æ edidimus, vna annectere. Expectabatur interim ante natalitios dies Hetruſca Aula; ſed aduentus vltra Idus Ianuarias prolatus eſt. cùm poſt Sereniſſimi venère, primùm ob Philippi Quarti, tum Reginæ Galliarum obitus, recitari non potuit; atq; adeo ipſa euulgari exemplaria nequière. tum quoquè profectio Labronenſis ſubſequuta eſt, menſemque integrum iſthic Principes exegère. Demum his eſurialibus ferijs toties optata, & toties dilata recitatio contigit. Nunc igitur cùm huius poematij munuſculo aliquanto libentius quàm ſinè eo ſcripſiſſem, tibi ſcribo. Tuis itaq; prioribus litteris primùm reſpondebo. Te iſthuc incolumem perueniſſe, & alacri, ac libenti animo degere & ſummoperè gauiſus fui, & tuæ candidæ humanitati, quòd mei memoriam abſentis tam ſanctè conſeruas, gratias habeo maximas; daboque deinceps operā, vt eas officioſa diligentia ſcribendi referā. Reliquam ferè epiſtolam elogio Piſarum abſoluis ſtylo herclè vegeto, & robuſto, quem amœna ſuauitate vbique temperas. Fama certè egregia, ſi in hac arena perſiſtis, te breui conſequetur. In poſterioribus litteris verebare priores non perlatas, & me iterum officij cum inſigni amoris in me tui ſignificatione commonuiſti. Placuit mihi mirum in modum tua iterata humanitas, rogauique hominem religioſum tui amantiſſimum, cùm has à te litteras daret, vt me

tibi

tibi ſeriò purgandum ſuſciperet, quòd illum, pro ea, qua integritate & fide eſt, præſtitiſſe non dubito. Nunc pauca de me ipſo dicam. Octauo idus Martias, quæ dies vltima lupercaliorum fuit, Roma faſciculum litterarum accepi, & in eo Principis Chiſij epiſtolam honorificentiſſimè de me, meaq; exiſtimatione ſcriptam: Placuit enim Sanctiſſimo Pontifici Alexandro VII. præter Apoſtolicæ benedictionis gratiam, aureo quoquè monumento ſuæ imaginis meam tenuitatem cohoneſtare. Sexto calendas Aprilis abolitionem Lucenſem obtinui. De Magni Ducis Hetruriæ munificentia optimè ſperamus. Dabo nunc operam, vt quæ Romæ pro te fieri volebas, ope, quos iſthic habeo Amicorum, perfici poſſint. Elucubrauimus quoquè nouum poematium in Nuptias inuictiſſimi Cæſaris Leopoldi primi, & Auguſtæ Virginis Margaritæ Mariæ Auſtriacæ Infantis Hiſpaniarum, quod diuina ope breui in lucem, & in tuas manus veniet. Ipſi Cæſari nuncupatio eſt. Sereniſſima Aula adhuc Piſis degit. Si qua tibi cupiditas ipſos Sereniſſimos, & Proceres videndi, ad nos hùc gratiſſimus ſimul, ac optatiſſimus hoſpes concede; non alio tibi quàm meo tecto, & vetere noſtra conſuetudine vtendum puta. Scis quàm ego candidè, & ſeriò loquar, homo ab omni fuco & adulatione alieniſſimus. Tu tantum propera; qua mihi re nihil gratius, optatiuſquè continget. Deus Optimus Maximus te diutiſſimè incolumem

H con-

conſeruet, meque tui peramantem, vt facis, redama, Summoque Numini apud arã commenda. Vale, & ſalue clariſſime Morræ.

Piſis octauo idus Aprilis 1671.

Si quid habes noui, aut de epiſtolis Puteani, aut de imaginibus Belgicis, nuntia. De pretio inter nos conueniet. iterum Vale.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

SI quid in omni anteacta vita mihi gratũ, optatumque potuit accidere, id mihi, Illuſtriſſime Gradi, tuæ litteræ fuerunt, quas octauo idus Martias cum aureo Numiſmate Sanctiſſimi Principis accepi. At mihi hic verba deſunt, quibus intimos animi mei ſenſus cum gratiſſima ſignificatione gratiarum poſſim ita, vt planè optarem, exprimere. Subit in primis tua ſingularis humanitas, qui mihi homini aduenæ, quem nũquam propiùs à facie cognouiſti, nec vllis merita comitētur, iã toties & toties ſola tuę egregiæ indolis bonitate fauiſti. Subit tua iſta honeſtandi mei ſedulitas, quam neſcio an ſimilem a quoquam mortalium auderem ſperare, qua Summi Principis adeundi, meique memoriam commodè ingerēdi tempus elegiſti, neque prius deſtitiſti, quàm totã

ha oc

hanc rem optatiſſimo exitu cõfeciſſes. Quid reddam? quid rependam? nil par à me reddi, aut rependi poteſt. Iterum gratias? at iã ante eas me perpetuò debiturum ſcripſi. Iterum tam magni beneficij memoriam apud me nunquam interituram? at illã quoquè me candidè ſeruaturum promiſi. Iterum me preces apud Numen pro tua longa incolumitate, & debitis præſtantiſſimæ tuæ virtuti honoribus adhibiturum ſcribo? hæc etiam antè pollicitus fui. Quid reſtat, niſi vt hæc omnia nunc ſimul repetam, meque iterum totum omnino dedam, & hanc omnem, quæ me deinceps conſequetur, ætatem tibi ſemper tanquam optimo patrono deuinctiſſimus viuam? Duo & decem exemplaria cum Nicolao Stenono homine Dano inſigni Anatomico, qui hic apud noſtros Principes nonnulla rei Anatomicæ experimenta præclarè edidit, mittenda putaui, cùm pauca omnino ante natalitios dies miſiſſem. Dici non poteſt quàm Sereniſſimæ Aulæ Sanctiſſimi Pontificis de me teſtimonium, & Principis Chiſij munifica humanitas placuerit. Meo itaque nomine, poſtquã me tuo humaniſſimò fauore dignatus es, gratias Suæ Beatitudini, & Principi Chiſio ſummas ac maximas habe, idque idem vt mihi officium Eminentiſſimus Raſponus impendat, quas hic incluſi litteris oraui. Oden tuam multo pulcherrimam Illuſtriſſimo Archiepiſcopo noſtro Franciſco ex Comitibus Ilcijs oſtendi, mirumque in modum placuit,

accepitq; vt chariſſimũ munus à chariſſimo Amico profectum. Ego nuptiale poematiũ pro Cæſare, & Sereniſſima Virgine Margarita Maria Auſtriaca Infante Hiſpaniarum molitus fui, edendum dum Auguſta Virgo ab Hiſpania Viennam Auſtriæ proficiſcetur. Quale quale erit, ad te, cui omnia debeo, quamprimum mittetur. Salue Illuſtriſſime Gradi, lux inclyta Italiæ à Belga perpetuo clariſſimi tui nominis cultore. Vale.

Piſis quarto idus Aprilis 1666.

Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
D. CÆSARI CARDINALI RASPONO.

Romam.

CVm hùc primus de tuo ampliſſimo honore nuntius allatus eſt, vix vlla poſſim verborum ope, Eminentiſſime Cæſar, exprimere, quàm incredibili lætitia incenſus efferebar, vt huius mei gaudij teſtes litteras cum prona gratulatione ſtatim exararem. Sed cùm poſtea mecum ipſe attentiùs cogitarem præter morem fore, ſi vltimi clientes prima gratulãdi officia Principibus viris, aut alijs ſanguine, aut affinitate coniũctis præriperent, volui hanc animi mei cupiditatem tantiſper inhibere, tacitaque lætitia in id vſque tempus frui, quo iam deferueſcente gratulatione aliorum, mihi quoque ſe locus ad gratulandum opportunus aperiret.

Nunc

Nunc itaque ex toto animo meo, intimiſq; ſenſibus hanc ampliſſimam dignitatem, quã votis antea optaui ſemper, tibi, & per te toti Reipublicę Chriſtianæ fęliciſſimam, optatiſſimamque gratulor; gratulor quoquè Sãctiſſimo Domino Noſtro Alexandro VII., qui primus ſapientiſſimo ſuo iudicio vidit huius, quem in te contulit, honoris fructũ non tam ad te, quàm ad totius Europæ cõmoda, & Romanæ Eccleſiæ decorandam maieſtatem pertinere. Iam enim anteà te vnum è tot Romanæ Aulæ Proceribus delegit, qui ſumma tua prudentia, ſummiſque conſilijs, rebus cum Chriſtianiſſimo Rege compoſitis, Italiam belli incendio liberares. Quæ res tunc effecit, vt tota Europa te non minus amaret, quàm coleret, certumque ſui præſidiũ in te fore præuideret. Nunc verò a tua ſingulari pietate, a placida iſta, & erecta indole, quam ſummis virtutibus cumulatam agnoſcit, ſibi fructus vberrimos promittit. At ego priuatus hìc quoquè gratias ſummas, & maximas aſcribo, quòd tuæ Amplitudini placuit humaniſſimis litteris tenuitatem mei poematij commendare; teque vna obſeruantiſſimè oro, vt meo digneris nomine Eminentiſſimo Principi Chiſio gratias habere pro aureo Numiſmate Pontificiæ Imaginis, quo Princeps multo humaniſſimus meos conatus honeſtãdos putauit. Nunc ſupereſt, vt votis, precibuſq; a clementiſſimo Numine efflagitem, vt tua amplitudo quamlongiſſima incolumitate

 vitæ

vitæ ad res humanas iuuandas vtatur. Vale.

Piſis quarto idus Aprilis 1666.

Cæſar Cardinalis Raſponus

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Piſas.

FAcis pro tuo ſingulari erga me ſtudio, quòd delatum mihi nuper Cardinalatus honorem verbis amantiſſimis gratularis; in qua ego re humanitatis tuæ laudem cum ingenij, & doctrinæ gloria certantem libēter agnoſco; teque hoc etiam nomine plurimi facio, charumque habeo, nec vulgarē gratiam à me deberi cùm officio gratulationis, tum gratiſſimo mihi carminum tuorum munuſculo fateor; teque hortor in iis, quæ ad tua commoda, & ornamenta pertinebunt, beneuolentiam meam tibi ſemper paratam futuram credas.

Romæ octauo calendas Maij 1666.

Illuſtriſſimo Domino

AMEDEO SAMINIATI.

Lucam.

AD me, hominem tibi, clariſſimoque fratri, multis nominibus deuinctiſſimum, ſic prior tam beneuolè, & amanter

ſcri-

ſcribis? quæque à me tibi obſequia littera-
rum debebantur, præripis? obſtupui ad tã
raræ, & benignæ indolis humanitatem; ne-
que aliud poſſum, cùm priori me officio
præueniſti, quàm meum tibi amorem cum
eximio cultu coniunctum, ſi homini mor-
tali hìc viuendi æternitas daretur, æternum
teſtari. Boni Superi, quàm elegante lætitia,
ſtyloque gaudii, amoris, & omnium gra-
tiarum pleno, meam iſtam abolitionem pro-
ſequeris! quam candidè, & ingenuè hanc
mihi gratiam gratularis! ago ſummas, &
maximas, vtinam & referre poſſim, gratias,
mirumque in modum gaudeo te per fratet-
na veſtigia euntem non tritæ iſtius eloquen-
tiæ limina, ſed ipſa Romanæ facundiæ pe-
netralia fœliciſſimo euentu occupaſſe. Quòd
famulam tam benigne tecto exceperitis,
quòd factæ abolitionis ſyngrapham nullo
ſumptu miſeritis, quid munificæ humanita-
ti veſtræ rependam? me ipſum cum ſingula-
ri obſeruantia, amore, ac cultu totum de-
inceps dedo, debeoque. Id nunc vnum
vos etiam atque etiam oro, vt ſinatis meum
iſthuc aduentum in aliud, opportuniuſque
mihi tempus prorogari. Hac quæſo poſt
tanta & tanta, quæ a vobis accepi, benefi-
cia, me nunc quoquè gratia tanquam exi-
mio fauore donate; valetudine enim ſatis
infirma vtimur, & grauedine capitis, quæ
mihi videtur a languido vigore digerendi
emanare, quaſi ſemper afficimur. Illuſtriſ-
ſimæ tuæ Matri officioſam meo nomine ſa-

lutem nuntia, quam eandem Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Fratri tuo nuntiabis. Salue ab eximio tui nominis cultore Belga, & Neſtore, Priamoque diutius ſoſpes vale.

Piſis pridie calendas Maias 1666.

Clariſſimo Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

CVm hic primus nuntius de profectione Sereniſſimi Principis Matthiæ increbuit, iamque Sereniſſima Infans Hiſpaniarum littoribus Italiæ appropinquare diceretur, Epithalamij impreſſionem, quamuis id non tanti eſſe, aut cultis Hetruriæ auribus dignum viderem, tamen vt Cæſar de me homine nouo, ſed ſibi iam ſubdito, meaque obſequentiſſima voluntate conſtaret, maturandam eſſe putaui. Tria & viginti exemplaria vſus Tozzii noſtri clariſſimi Viri isthuc proficiſcentis opportunitate ad te mitto; ſimulque pro vetere noſtra neceſſitudine, tuaque eximia humanitate te etiam atque etiam oro, vt tria illa, quæ cæteris cultiora ſunt, meo digneris nomine Auguſtæ Celſitudini Ferdinandi, Magno Principi Coſmo, & Sereniſſimo Leopoldo exhibere, cætera Tyrrhenæ Aulæ Primoribus, Marchionibus in primis Coppoli, Corſinio, Riccardio, Vitellioque, tum ampliſ-

ſimo

ſimo Auditori Capponio, populari meo Hippolyto, aliiſque, quos omnes cum ſingulari cultu, & veneratione ſaluto. Vbi ſe obtulerit occaſio, vt de me inſtitui ſermo poſſit, rem meam cum ſumma gratiarum actione Sereniſſimo Magno Duci ita commenda, vt illud queat gratuitum donum in annui ſtipendii gratiam tranſire. A Tozzio, homine tui, meique amantiſſimo accepi, ſibi in Academia Piſana Celſitudinem Leopoldi dixiſſe, vt æs illud annuum, quod mihi gratuitò perſoluendum eſſet, ex ærario Academiæ Piſanæ hauriretur, quæ profectò res ſi fieret, quam ego multo minus de rerum humanarum viciſſitudine ſolicitus viuam, & multo animoſius optimarum artium ſtudiis incumbam! omnia tuæ ſingulari prudentiæ, amori in me tuo, & eximiæ propenſioni permitto. Exemplar adornandum pro Cæſare curabo. Vtinam aliquis è Primoribus Aulæ Auſtriacæ mihi notus ſit, qui id Cæſari meo nomine offerret! Si quid hic habes conſilii, mone, ſuade, iuua, vt hæc quoquè res poſt tanta quæ accepi beneficia, tibi à me perpetuò debeatur. Scribam quoquè Tilmanno, vt nihil te inconſulto agat, & breui alia tibi exemplaria ſubmittam. Salue Clariſſime Forzoni, & quamdiutiſſimè ſoſpes, & fortunatus vale.

Piſis tertio calendas Iunias 1666.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN
Florentiam.

CVm Sereniſſimus Princeps Vrbe intacta ſecus pomerium Labronem veheretur, librarium Maldachini viri clariſſimi conuenire non potui, neque id graui meo incommodo accidit, cùm Epithalamium, vt in portum Inſubriæ mitteretur, nedũ impreſſum haberemus, & ipſa nouitas argumenti iam in ipſo itinere trita ſuam fortè gratiam in Aula Cæſaris amitteret. Quinque tibi & decem exemplaria mittimus. Tria & viginti habuit Forzonius, è quibus ſua Sereniſſimi Principes accipient. Inquire cum Forzonio viam, vt vnum exemplar queat in manus Cæſaris meo nomine peruenire. Quę res difficultate maiore carebit, ſi Imperator Auguſtam Infantem Hiſpaniarum Oenipontę excepturus eſt; alioqui cogitaram Comiti Maximiliano Fuſtenbergio litteras exarare, eumque quammaximè orare, vt meo nomine Cæſari offerret. Tu quid cenſeas ſcire quamprimum velim. Ego interim eas ad Comitem litteras exarabo, quas tibi, & alia exemplaria cum Terentio mittam. Iote rea iis, quæ miſi, vtere, & da tibi notis, fidiſq; hominibus Viennam Auſtriæ profecturis. Rei meæ promouendæ curam ſuſcipe. Ait Tozzius, Celſitudinem Leopoldi ſibi dixiſſe, vt gratuitum iſtud ſtipendium ex ærario Athenæi Piſani in ſingulos annos ſumeretur.

Ve-

veſtiga quæſo, & omni ſtudio enitere, vt id ratum poſſit fieri. Salutem Proceribus. A Ceſare Card nali Raſpono humaniſſimas litteras accepi. Vale.

Piſis tertio calendas Iunias 1666.

Clariſſimo Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Petrus Andreas Forzonius.

Piſas.

FAſciculum, quo poematis tui exemplaria tria & viginti numero includebâtur, à Clariſſimo noſtro Tozzio accepi; ſique tamdiu de hoc ad te ſcribere diſtuli, negotijs meis aulicis, & familiaribus, acceptũ refer. Sereniſſimo Magno Duci, alijſque Principibus viris ſuum cuique poema obtuli, cæteriſque Aulæ Proceribus, quos donandos monebas, alijſque doctrina, ſeu dignitate conſpicuis diſtribui. Carmen vnanimi ſuffragio, plauſibus, ac admiratione dignum pronunciatum eſt. Nunc verò in eam curam ſedulò incumbam, vt in manus Cæſaris poſſit peruenire, idque maturè pẽſitabimus, cùm præſertim temporis anguſtia non vrgeamur, & cum Tilmanno ſermonem habebimus. Eminentiſſimi Chiſij ad te litteram hiſce annectimus; hanc Sereniſſimis noſtris, alijſque recitauimus; cùm ac-

 cepe-

ceperis fac me certiorem. Cæterùm pro tua cauſa me non mediocriter fore ſolicitũ pro certo habe; vtar omni, quæ ſeſe in dies offeret, opportunitate; nec profectò erit vnquam, quod in me ſtudii, curæ, vigilantiæ partem vllam deſideres; quod re probare conabor. Tu interim me tui amantiſſimũ ama, & ad longæuam ætatem ſoſpes viuas. Vale.

Florentiæ idibus Iunij 1666.

Quòd tumultuariè & incomptè ſcribam, defectus otii apud te me purget.

Clariſſimo Viro

TILMANNO TRVTVVIN

Florentiam.

Alterum tibi retinebis, alterum Clariſſimo Forzonio faſciculum dabis; vnaq; me purgandum ſuſcipies, quòd obſequia litterarum homini amantiſſimo mei non addiderim; id enim à languore, & debilitate, quæ nedum confirmatæ eſt, valetudinis procedit. Meliuſculè tamen habemus, & quotidiano munere, ſeu potius labore fungimur. Scribam tamen vbi priſtinus vigor reliquias languendi depulerit. Illius interim humanitati perferendum Cæſari exemplar poſtquam erit Orator Germanicus deſignatus, commendo, & alia, quæ vnà mittan-

tan-

tantur ad Aulam Cæſaris exemplaria cum Terentio homine vtriuſque noſtrum amantiſſimo ſubmittám. De Gallo mercatore Gabriellio quæ vis inquiri inquirentur. De obitu Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis, de valetudine Alexandri Septimi nihil habemus, immo vtrumque valere, & valituros, vt cuique curriculum naturæ fertur, diutiſſimè confidimus. Caſum iſtum optimi & integerrimi Iuuenis Cæſarij Florentinij in tam ſancto, & religioſo munere quis non lacrymis proſequatur? Sic repentè fortuita iniuria extingui quis non doleat? at nos magis qui amici fuimus, & familiaritate coniuncti. Proceribus Aulæ, ipſiſque Oratoribus Britanniæ, officioſiſſimam meo nomine ſalutem nuntia, quam eandem Redio omnium elegantiarum promocõdo, omniſque naturæ interpreti ſolertiſſimo dices. Si libet rẽ mihi multo gratiſſimã facere, sẽper aliquid ſi aliquid eſt ſcribe; ſi nil, fac tamen vt nil eſſe ex tuis litteris diſcam. Gratuiti ſtipendij gratia velim vt abdicato doni nomine pro clementia Sereniſſimi Auguſti annua fiat; in eam rem implorata Procerum ope etiam incumbe. Vide quo me ſtylus rapit! tribus volebam verbis ſcribere, & paginam impleui. Vale.

Piſis tertio nonas quintilis 1666.

Cla-

Clariſſimo Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Petrus Andreas Forzonius;

Piſas.

QVanta colam obſeruantia, quantaque admiratione ſcriptiones tuas libentiſſimè ſuſpiciam, ſatis ſuperque tibi exploratum cenſeo; hæc autem licet otioſa præpono, vt intelligas quæ in nouiſſimo poemate tuo dubitanda occurrunt, ea tali ſenſu exponere, quo de ijs certior fieri exoptê, ac vlterius hærere nolim. Cùm itaque carmen illud terque quaterque euoluerem, ſedulò cæpi cogitare, qua authoritate fultus *Thaumantis* nomen vſurpares in ſignificatione Auroræ; cùmque dubio ſatisfacere non poſſem in tua verba quieui.

1. Poſtquam itaque hoc penſitaſſem, nudius tertius plures Amici conueneramus, & tempus diei feruidiſſimum litterario ſermone leuabamus. Placuit poema tuum legi, quod plauſibus vnanimi ſuffragio eſt elatum Placuit rurſus, & accuratius legi, vnumquodque verbum ad trutinam reuocando, & ſtatim, quod ipſe ſilueram, *Thaumantis* nomen pro Aurora vſurpari poſſe, fuere qui negarunt, cùm hoc tantùm Iris nomine inſigniri conſueuerit, vel à Thaumante patre, vel à *Θαυμα* quod Grecè miraculum ſonat. Statim ego contendere volui non minus Auroræ quàm Iridi miraculoſæ nomen tribui,

cùm

cùm præcipuè harum colores inter ſe ſimilares exiſtant; deinde audacter dixi te aliquam ſcriptoris optimi authoritatem certo certius ſequutum, vel valida ratione innixum ita ſcripſiſſe.

2 Præterea, *magnam Æthram* pro cœlo adhiberi poſſe dubitatum fuit, cùm pro cæleſti potius ſplendore, vel igneo cenſeretur. Hic ego reſponſum dedi, axem quoq; & polum magis tranſlata eſſe, quàm Æthrā, & tamen pro cœlo dici.

3 Hinc aliqui carpſere nimis crebram repetitionem *magni*, & *eoi*. Quibus obieci huiuſmodi repetitionem, utpote crebram carpi non debere, cùm rebus ſuis adiunctum hoc apprimè conueniat, cùmque de Aurora ſermo habeatur, eoi epithetum cum venuſtate & elegantia iterari poſſe.

4 Ad illud hemiſtichium *falſone ambire Lycaona vultu*. Hæc audiui: cùm ſuperius, ac inferius metamorphoſes enuncientur, quas amoris cauſa Iupiter annuit, hic videtur improprium metamorphoſem, quam ira & indignatione motus Iupiter iuſſit, memorare. Nec nomen *Lycaona* in quarto caſu inſeruire poteſt pro patronymico Caliſtus.

5 Dubitatum quoquè fuit an *in Atauâ Heroum ſeries* illud *Ataui* poſſit vt adiectiuum ſumi, & an *vultu ſit imago* ſit phraſis, qua ſenſus noſter ſecurè patefiat; quibus omnibus plurima obieci, quę breuitati ſtudens omitto.

Hæc

Hæc velim ſingula, quæ ſedulò perpenſa iam exiſtimo, me doceas, qua ratione tueraris, vt ſciolorum huiuſmodi poſſim petulantiæ tutus occurrere, & quanto citius hæc à te diſcam, eo celerius eorum nugas nullo niti fundamento ſignificabo. Caue tamen credas a quoquam Amicorum vel temeritate, vel audacia, vel arrogantia peccatum; omnes te apprimè noſcunt, & venerantur, ſuumque tantùm quiſque ſenſum quam liberrimè expoſuit, acuminis, & ſtudii, non liuoris, vel inuidiæ gratia. Si verò has obiectiones reſponſi tui oraculo, velut ſol nubeculas, exterminare volueris, noſtræque hoc amicitiæ dare, omnes ingenii, ac ſcientiæ tuę miratores nouo hoc officio deuincies. Exemplaria à Tilmanno accepi, & quid de iis faciendum ſit poſtea diſces. Reſcribe quæſo quamprimum per negotia tua licebit, & hæc à tui obſeruantiſſimo ſerena fronte excipe, qualem merentur candor, & neceſſitudo, quibus fretus ſcribo. Cæterùm ignoſce prolixitati, & hanc moleſtiam, qua ſoles humanitate amplexare. Vale, ac me tui amantiſſimum redama.

Florentiæ decimo quarto cal. ſextilis 1666.

Cla-

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

NIhil mihi gratius, acceptiuſq; tuis quidem litteris poteſt accidere; ſed hæ herclè multo gratiſſimæ fuerunt, quòd mei abſentis cauſam pro vetere noſtra neceſſitudine, & inſigni tua erga me beneuolentia tutandam iſthic in litterario congreſſu ſuſceperis, eoque me tibi nomine deuinctiſſimum nuntio, meiſque amoris perpetuitate tibi, qui me non modò conſtantiſſimè amas, ſed defenſas quoquè, repono. Nunc verò vt ad obiecta in Epithalamio Cæſaris, quæ ſpecie dubitandi ab iſtis hominibus proponuntur, accedam, epiſtolæ tuæ ordinem ſequar, & quæ primò proponis prima diluã.

Negatur *Thaumantis* nomen pro Aurora poſſe vſurpari, cùm hoc tantùm nomine Iris inſigniri conſuerit. Repono Iulij Cæſaris Scaligeri authoritatem, qui hoc ipſum nomen non Deæ, ſed fœminæ mortali attribuit; ipſi inquam Conſtantiæ Rangoniæ Nobiliſſimæ Matronæ Mutinenſi, cui ſua poemata cum ſummo illius optimi ſæculi plauſu inſcripſit. En verba (impreſſio exemplaris eſt Lugdunenſis apud Godefridum, & Marcellum Beringos fratres 1596.) fol. 113. inducitur Rangonia in eum morbum, quo laborabat Poeta, velle transferri.

Flectens ſydereos in me Thaumantis ocellos
Se optauit potius talia monſtra pati.

De

De eadem fol. 115.

Reginā orabam Venerē, Veneriſq; pharetras,
Vt mihi Thaumantem ſub ſua iura darēt.

De eadem vbi præfertur Veneri fol. 133.

Si mihi nequitias faciat Venus Aurea quātas,
Si quantas Veneri trans mare ſudat Amor,
Sordeſcant ſtupido cœleſtia Numina, nec mi
Thaumantis placidas deleat vlla faces.

fol. 136. Pater pro filia epitheto fœminei ſexus exprimitur. Quod hic addo, ne in voce *Lycaona* tam ſcrupuloſè dubitent, & quartum caſum velint vt patronymico Caliſtus attribui.

Plus pudeat Thaumas cūctos quòd riſerit ignes
Atque meum gelido pectore cruda necat.

Tu porrò, Clariſſime Forzoni, Auroræ attribui poſſe ablato a fabulis cortice elegantiſſime docuiſti. Sed vellent authoritatem in ipſa ſignificatione Auroræ; legant centenas impreſſiones Rauiſij, vbique inter epitheta Auroræ Thaumantis apparebit. Legant theſaurum Ragazij, ibi in ſenſu variandæ Auroræ legetur Thaumantia, matutina parens Leucothoe, & alia.

Pergo *ad magnam Æthram*. Idem Scaliger primo Hymno in Deum Patrem fol. 9. exemplari ſuperius citato.

Iam primum validis ſuſpenſam hanc aſpice clauſtris
Congeriē pictamq; oculis radiātibus Æthrā

Quid illi oculi, niſi ipſius Cœli ſtellæ, & ſydera? Item Baſilius Zanchius lib. ſec. poematum Hymno in Deum. fol. 24. vbi de-

bea-

beata gente quæ cœlos incolit, ſic canit.

Choreas Gens incola cæli

Circumagitat, fælixque tuo dependet ab ore,

Et nunquam defeſſa tuis ſua laudibus ora

Soluit, & æternis reſonat concentibus Æthrã

Epitheta *magni & eoi* vt nimia repetitione inducta carpuntur. Itane? At *magni* nunquam repetitur. *Eoi* ſemel, idque poſt tria & decem verſuum interualla. Alijs locis alia flexione mutantur.

Falſone ambire Lycaona vultu. Si videbitur Naſo 2. libro Methamorphoſeon, videbitur quoquè nulla indignatio, nulla ira Iouem in faciem Dianæ deſtruxiſſe, ſed ſummus amor, vt virgine potiretur, immò ſpreuiſſe Iunonem, cùm de illa loquens ait.

Sint ò ſua iurgia tanti.

& paulò inferius cũ à Iunone in vrſam Caliſto verteretur idem Ouidius canit

Laudataque quondam

Ora Ioui.

Vbi nunc cœli donati fauor, & aſtri pulcherrimi decus? de caſu dixi ſupra *Atauũ* Heroum imago. Negant hanc vocem in alia, & alia genera moueri. Videant Interpretes Venuſini, vbi in prima oda Mæcenas atauis Regibus progenitus celebratur.

Sit vultu imago. Vt phraſis minus latina reprehenditur. At cui tandem humani corporis parti imago, ſpecies, aut ſimilitudo attribui debet, niſi vultui, in quo ipſa humana voluntas tanquam in ſua ſede, ac ſpeculo quodam videri poteſt?

Hæc

Hæc pauca noſtræ neceſſitudinis intuitu, tibi, cui nihil negare poſſim, aut velim, exaranda putaui. Meum interim amorem, quē nunquam à meo cultu obſeruantiaque ſeparo, ijsdem clariſſimis in iſto litterario congreſſu hominibus ſignifica.

Res meas, id eſt vt donum Auguſtæ Celſitudinis Ferdinandi annui ſtipendij gratia confirmetur, etiam atque etiam commendo. Tu, qui eximia gratia, & priuata apud omnes iſthic Principes authoritate vales, id effice; meque hoc tibi perpetuò deuinctiſſimum munere redde. Breui Hymnum aliquanto maiorem mole, quàm ſit Epithalamium Cæſaris mittam. Hunc Cardinali Hicio nuncupaui. Vincentius Gaius Ciuis Florentinus, qui cum alijs competitoribus ad huius Academiæ, vt dicunt, bidellatum aſpirat, ſe ſummoperè gratiæ, & fauori Stephani Riccij Viri ornatiſſimi, tuique amantiſſimi collegæ commendat. Quas celeritas ſcribendi lituras induxit, excuſa, meque tui, quamdiu ero, peramantem redama. Vale.

Piſis tertio nonas Sextilis 1666.

Cla-

Clariſſimo Viro

TILMANNO TRVTVVIN.

Florentiam.

QVæ a me amiciſſimè rogaſti hic habes. Binas tuo nomine epiſtolas exaraui, alteram Principi Comiti Iſenghenio, alterã Ruremondanę Ciuitatis Conſulibus, & Scabinis. In optimæ tuæ Parentis, & dubio ſororum interitu tecum lugeo; fortiter tamẽ te hunc laturum eſſe dolorẽ confido, ſi propius eam, qua nati ſumus, conditionem mille & mille caſibus, ſeu fati, ſeu fortunæ, obnoxiam expendes. Conſilia humana à conſiliis Altiſſimi diſcrepant, nos ſenium viuax, & longæuum ſæpè parentibus optamus, ſæpè ætatem longiſſimam fore in ipſo coniunctiſſimo ſanguine ſperamus. At hęc nobis ex arcano conſilio Numinis non ſuccedunt, vt ipſa mens mortalium illuc feriò feratur, quò ferri debet ad Superos, tandemque diſcat quicquid humanarum opum eſt, id citò dilabi, aut alienis iniuriis obnoxium reddi. Sed hæc hactenus. Tu tibi ipſi quę à me adhiberi non poſſunt, leniendi doloris remedia adhibebis. Scribe num has acceperis, & Hymni mei exemplaria, quæ ipſo die, quo tuas exaraſti, ſi Religioſo homini Franciſcano diligentia conſtitit, accipere potuiſti. Aulæ Proceribus, Clariſſimo Redio, Forzonioque ſalutem, a quo gratum fuit intelligere meæ iſthic reſponſioni homines litteratos acquieuiſſe. Tu verò ſeu

pau-

paucis, ſeu multis aliquid reſcribe, & rem meam cum Forzonio diligentiſſimè cura. Vale.

Piſis decimo ſexto cal. Sept. 1666.

Illuſtriſs. & Excellentiſs. Principi
COMITI ISENGHENIO.

Tilmannus Trutuvin Magni Ducis Hetruriæ Anatomicus.

Ruremondam.

POſt diuina refugia ad humana quoquè in extrema rerum calamitate confugiendum eſt. Audiui cum ſummo mærore animi, omnium optime, ac integerrime Princeps, matrem meam multo chariſſimam, peſte, quæ iſthuc à Colonia irrepſit, extinctã, idem quoquè fatum duabus meis ſororibus iſthic fortè obtigiſſe; adeoque miſerrimam domum nullo præſidio munitam facilè perditiſſimorum hominum direptioni patère. Quapropter tuæ in primis clementiſſimæ humanitati confiſus, ſummis precibus meis te etiam atque etiam oro, vt tua authoritate ſcripuras, quibus legitima poſſeſſio prædiorum continetur, & aliam domeſticam ſuppellectilem iubeas diligenter ſub ſigillo publico cuſtodiri, ne mihi hic in Italia degenti, meiſue hæredibus aliquid inde detrimenti accedat. Quod te, Excellen-

lentiſſime Princeps, pro tua eximia in Ciues pietate libentiſſimè facturum non tam ſpero, quàm plane confido. Huius verò apud me beneficii memoria æterna erit; quamq; mihi referendæ gratiæ facultatem fortunæ tenuitas meæ negauit, hanc cumulatis apud Altiſſimum Numen precibus penſabo. Vale diutiſſimè ſoſpes, ò Princeps, & noſtri Belgii, & Europæ clariſſimum decus.

Florentiæ . . . ſext. 1666.

Clariſſimis, Ampliſſimiſque Viris
CONSVLIBVS, ET SCABINIS CIVITATIS RVREMONDANÆ.

Tilmannus Trutuvin deditiſſimus Ciuis.

Ruremondam.

NVntius mihi longè mœſtiſſimus allatus eſt, matrem mihi dilectiſſimam, quæ iſthuc à Colonia Agrippina inuecta eſt, peſte deceſſiſſe; multumque dubitari de ſimili interitu ſororum, quas binas apud vos reliqui. Nunc mihi in ſummo, maximoque mærore verſanti, veſtra in primis, Ampliſſimis Conſules, Scabinique, pietas occurrit, immò ſpes certiſſima, nè poſt orbitatem charifſimorum grauioribus rei domeſticæ incommodis inuoluar. Vos igitur, Patres optimi, humaniſſimi, ac integerrimi cuſtodes Patriæ, quammaximè, quàm ardentiſſi-

tiſſimè oro, vt mei abſentis Ciuis patrocinium ſuſcipiatis; ideſt dignemini authoritate publica ſcripturas domeſticas prædiorum, omnemque domeſticam ſupellectilē à quacumque iniuria málorum Ciuium tueri; eaque omnia remedia, quæ & eximia vobis prudentia dictat, & in Patriam, & in Ciues charitas ſuadet, adhibere, ne mihi hìc in Italia abſenti aliqua inde poſſint incommoda euenire. Quam ſi mihi rem, humaniſſimi Patres, pro veſtra in Patriam, & Ciues charitate præſtiteritis, non modò quicquid mihi reliquum ætatis decurret, vobis hoc nomine deuinctiſſimus viuam, ſed hanc gratiam cùm viribus meis æquare non poſſim, precibus meis aſſiduis pro veſtra longa incolumitate viuendi apud Deum Optimū Maximum compenſabo. Valete clariſſima Ruremondanæ, & totius Sicambriæ lumina.

Florentia... ſextilis 1666.

Clariſs. Celeberrimo, & Eruditiſs. Viro
ALEXANDRO SVVEVERIO
Canonico maiori Louanienſi.

Louanium.

SExto idus Auguſti, quas idibus quintilis Antuerpiæ ſcripſiſti, litteras accepi. Priores nullas vidi. Sororem Læuinam, aut Michaelem ſororium nil meis reſcripſiſſe mi-

ror.

ror. Epigramma, quod tricuſpidum vocas, in omnes, qui fuere, qui ſunt, quique erũt tui nominis obtrectatores elegātiſſimè exaratum legi, mirumque in modum placuit; idque à Patre Oliua, tuo olim apud Romanos Alumno, nunc vniuerſæ Societati Ieſuitarum Prępoſito, breui mea opera legetur. Alia quoquè carmina, quæ ad tuæ prodigia profeſſionis pertinent, mirificè placuere. Sed nunc liceat mihi aliqua tecum (ſed ſaluo inuiolabili amoris noſtri, & amicitiæ vinculo) expoſtulare. Vbi ad eas res, quas tantoperè auebam ſcire, vlla reſponſio? Quas dares ampliſſimo Loenio litteras, tibique vnicè commeodaui perferendas, quid ijs ſit factum ſiles. Oraui te etiam atque etiam, vt quis in Embachij prouinciam ſucceſſiſſet mihi harum rerum percurioſo nuntiares, & ſiles. Rogaui præterea, vt cauſam ſilentij tam prolixi & diuturni in Auunculo Præſide tuo collega exquireres, & ſiles. At hæc maximè optabam ſcire; nũc ſaltem his me de rebus omnibus certiorem redde. Videor mihi hominem iſtum Brugenſem ſemel hic in meridie menſæ adhibuiſſe; quæ addidit de lauto octidui hoſpitio vana ſunt. Gratias tamen tuæ humanitati habeo, quòd hominem neceſſitudinis noſtræ intuitu tecum epulis adhibendum cenſueris. Hæc pauca de me, rebuſq; meis accipe. Valetudine incerta vtimur, & ſubinde aliqua pangimus, lucique impertimur. Nuper Cæſari & Infanti Hiſpaniarũ

Epithalamium cecini, ipſique Cæſari nuncupaui. Conatus verò meos Sanctiſſimo Pontifici Alexandro VII. non diſplicere ex huius, quam hic includimus, aduerſarijs epiſtolæ intelliges; meam enim tenuitatem aureo ſui vultus numiſmate honeſtandam putauit. Salutem Clariſſimo Domino Præſidi Auunculo meo officioſiſſimam nuntia, cæteriſque Amicis, qui ab hac humanitate literarum non abhorrent. Tu verò Suveteri, qui non modò in Belgio, ſed in tota propemodum Europa cum inſigni tui nominis gloria celebraris, plurimum à me tuæ eximiæ, præſtantiſſimæque virtuti deditiſſimo ſalue, & me tui peramantem ama. Vale.

Piſis decimo quarto calend. Sept. 1666.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
D. FRANCISCO COMITI ILCIO
Archiepiſcopo Piſarum.

Romam.

HYmnum, vt tibi antea, Comes Franciſce, omnium optime, ac humaniſſime Antiſtes, ſignificaui, Eminentiſſimo Ilcio Patruo tuo, egregio herclè, & inſigni Romanæ Purpuræ ornamento, inſcripſi. Nũc meis a te precibus id vnum ſummoperè cõtendo, vt quæ incluſi exemplaria, meo digneris nomine tui in primis Amplitudini Patrui exhibere, tum Cæſari Cardinali Raſpono,

ſpôno; ac faſciculum, cui tot nominibus deuinctus ſim, humaniſſimo Abbati Gradio mittere. Credo Epithalamium meum in Cæſaris & Infantis Hiſpaniarum nuptias iſthuc perlatum fuiſſe, quòd Eques Scornius bina hic exemplaria Cardinali Barberino mittenda acceperit. Quæ tu porrò ò cultiſſimum Hetruriæ Decus Franciſce, patrocinia litterarum cum ſumma tui nominis laude, certoque gloriæ incremento ſuſcepiſti, ſic retine, vt non modò hęc præſens ætas tibi plurimum debeat, ſed omnis poſteritas hoc tibi nomine deuinctiſſima oriatur. Deum verò vt tibi ſpatia viuendi longiſſima pro ſua clementia in Chriſtianę Reipublicę commoda elargiatur, precari non deſino. Vale.

Piſis nonis Septembribus 1666.

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. D.
SCIPIONI CARDINALI ILCIO.

Romam.

QVem nuper, Eminentiſſime Ilci, Amplitudini tuæ Hymnum inſcripſi, nũc cum omni, qua par eſt, animi demiſſione ad te mitto. Potuit mihi quidem temeritas, aut nimia tui publicè appellandi confidentia ab ijs hominibus obijci, qui ſolùm aciẽ in tuas ſummas maximaſque virtutes defixere; verùm cùm me ego tuæ vnius eximiæ, ac

rarę huic æuo humanitati committerem,facilè ſperaui fore, vt hic meus qualiſcumq; conatus hilari à tua Amplitudine vultu exciperatur. Quid ni hoc ſperem hos mihi ad te aditus conciliante Comite Franciſco Ilcio Amplitudinis tuæ Nepote Archiepiſcopo noſtro Piſarum, in quo alteram tui imaginem, easdem florere virtutes, eiuſdem humanitatis gratiam læti aſpicimus, & læti eum prono cultu veneramur Antiſtitem, qui Patruum Patrui virtutibus nobis reddit. At tibi, ò ingens Romanæ Purpuræ decus Ilci, ętatem à Numine quamlongiſſimã opto, vt diu rerum humanarum commoda cum Sanctiſſimo Pręſide terrarum Alexandro Septimo Pontifice Optimo Maximo iuues. Vale.

Piſis nonis Septembribus 1666.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.
D. *STEPHANO ABBATI GRADIO*

Romam.

De Cæſaris & Infantis Hiſpaniarum nuptijs Epithalamij exemplar te credo, Illuſtriſſime Gradi, accepiſſe. Nunc cũ Cardinali Ilcio Hymnum de Diua Vbaldeſca mitterem, tibi quoquè exemplar, cui me, & mea omnia me debere intelligo, mittendum putaui. Addidi duo exemplaria Epithalamij, alterum Sanctiſſimo Pontifici

Ale-

Alexandro Septimo, alterum Eminentiſſimo Principi Chiſio. In hoc verò tempus diſtuli, quòd ſcirem Infantem Hiſpaniarum nódum littus Italiæ attigiſſe, tum quoquè vt qualis qualis Epithalamij molitio eſt, ſuo ſaltem opportuna tempore mitteretur. Mihi verò, humaniſſime Gradi, ignoſce, qui te nunquam ſinè aliquo onere meis litteris appello; Sed hanc gratiam tuæ eximiæ humanitati, beneuolentiæ, & optimæ in litteras, earumque cultores propenſioni refero acceptam; eoque nomine, vt iam antea ſæpè teſtatus ſui, tibi omni reliqua vita deuinctiſſimus viuam, rogaboque meis precibus Numen, vt longo & incolumi æuo omnia tibi ſecunda, proſpera, & fortunata eueniant. Vale.

Piſis nonis Septembribus 1666.

Clariſſimo Viro
BASILIO RIGHI
Ex Ord. Carthuſiano Priori Vallis Gratioſæ apud Piſas.

Carthuſiam Vallis Gratioſæ.

CVm mihi videretur res multo decentiſſima fore, vt quocumque ſtudio, diligentia, & ſplendore Diui Brunonis gloria, quatenus id per meam fieri imbecillitatem poſſit, nouo, & compendioſo laudum ſuarum argumento celebraretur, facile fuit ab

eximia humanitate Reuerendiſſimi Inquiſitoris Piſarum, qui omnem curam impreſſionis ſuſceperat, obtinere, vt meo arbitratu & Hymnus edi, & adornari poſſit. Neq; tibi hic aliqua cogitatione laborandum exiſtimo, quo minus honeſtiſſimo titulo, tuæque exiſtimationi debito planè conſentias. Immo laudem ſingularem fuiſſe tibi propoſitam video, ſi tu me ipſe hortatus eſſes, vt id, quod præ ſancta demiſſione animi ab alio accipere malles, quàm a me ipſo eiuſmodi rerum ſanctarum cupidiſſimo petere. Cogita, mi optime & integerrime Baſili, qui ſumptus è marmore, ſacra ſupellecti le, ſuæ cuique ſolitudini ædibus, omnibuſque Vallis Gratioſæ ornamentis extiterint? magni herclè, & grauiſſimi fuere, & meritò; nam hæc ad Summi Numinis gloriam, & Diui honorem ſpectare agnoſcimus. Tamen hæc ipſa loco moueri haud poſſunt, neque aliquis niſi iſthuc ſe contulerit coram videre, aut mirari poteſt. Quorſum hæc? vt innuam nos aliquid eiuſmodi in honorem Diui attuliſſe, quod per omnia domicilia Carthuſiæ circumferri poteſt; ſimulq; oſtendam nullos honeſtiori titulo ſumptus fieri vnquam potuiſſe. Adoleſcentulum Cioniũ, qui meas ad te pertulit hoc meridie iſthic veſci permittes. Tertio idus Octobres, id eſt ipſa octaua Diui, ſummo mane vehiculum mitte, quo recitaturus Adoleſcens ad vos vehatur. Omnibus Carthuſiæ Patribus plurimam meo nomine ſalutem nuntia. Tu

verò,

verò, Baſili Prior, lux egregia tui Ordinis, a me tuo nomini deditiſſimo ſalue, & diutiſsimè ſoſpes viuas. Vale.

Piſis ſexto idus Octobris 1666.

Eruditiſſimo Domino

DOMINICO BASVINIO

Rus Caſſianum.

NVlla quidem res mihi potuit iucundior accidere, quàm de te aliquid, ſeu litteris, ſeu amicorum ſermone, quid iſthic in amœniſſimo Rure ageres, cognoſcere; ſed tu homo vnicè ad genium meum factus, idemque multo humaniſſimus, non contentus vt de tuo ſtatu, ac valetudine, ea quæ vellem maximè, intelligerem, me vnà quoquè cum litteris largo ſanè deliciarum munere obruere voluiſti. Aliud, & aliud Epigramma legi, vtrumque Muſis, & Apollini ſacrum, quod natiua venuſtas, & omnes elegantiarum numeri commendent. Tua porrò veſtigia in hanc ipſam famæ, & gloriæ ſemitam dirige; me ſponſore aliquod nomen a poſteritate expecta. Nondum me obtuli Comitiis, id facturus dum Sereniſſima Aula aduenerit. Hodie cùm panderem, agreſtis, qui turdos attulit, vrgebat alieniſſimo tempore reſpondendi officia, quæ nūc ineunte ſecunda vigilia nocturna expluo.

Vale, & me ama.

Piſis ſexto idus Nouembris 1666.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO ADRIANIO.

Campum Maiorem

NOnnè ego, ſuauiſſime Laurenti, tot elegantibus blanditiis tuarū illectus, homo aliquanto durior, in mutua viciſſitudine amandi videbor, qui ad hoc vſque tēpus tot epiſtolis, omni amoris ac integerrimi affectus ſignificatione refertis, mea reſpondendi officia diſtulerim? Ignoſce, quæſo, multiplici, quæ mihi quotidie obrepit, occupationi rerum. Hoc autem ſcito nullum mihi vnquam diem prætèrire, quin de te, tuiſque eximiis virtutibus non ſinè magna animi mei lætitia cogitem. Ergo tot tuis in me officiis, tum gratulationis, tum aliarum rerum, quæ mihi iucundiſſimæ acciderunt, gratias hic ſummas repono; hancque obſecro voluntatem à Belga, tu Belga Italus toto animo amplexare. Cectius Volaterranus, Vir apprimè eruditus ac integerrimus, huic Seminario Piſano Præfectus, ſexto calendas Decembris in itinere Volaterrano è viuis deceſſit. Vacat luculenta prouincia multo melior, quàm tua iſthic in non digno virtutibus tuis loco, aut ergaſtulo. Si tu huc aſpiras, rem totam tibi proſpe-

ſperam, tuæque ſingulari doctrinæ per Italiam propagandæ maximè idoneam propono. Iam Proantiſtiti, primiſque rerum ſacrarum moderatoribus tui memoriam inieci; & illi ſtatim reiecta quadam colluuie ſemidoctorum hominum, qui huc ſuas ſpes attulerant, ſuos ad me collegas miſerunt, qui me ardentiſſimè orarent, vt te hùc tam nobili loco, & ſtipendio inuitatum pertraherem. Quid plura? venit tempus, quo te non poſſit oblatæ denuo, & nobilioris prouinciæ pœnitere. Rem tuam familiarem planè in integrum reſtituas. Te ipſe Archiepiſcopus (id in me recipio) omni ſuo patrocinio amantiſſimè complectetur. Caue hìc mihi aliquas querelas familiæ tuæ prætexere; illas negliges ſi quid eidem proſpectum voles; atque vbi tot præclariſſimi viri audent viuere, tu, obſecro, noli aut huius inclementia cœli, aut vlla alia impreſſione mentis moueri. Hæ porrò litteræ vt ad te tutò, & celeriter perueniant, hanc mulierem, quę iſthinc oriunda eſt, conducto ad te itinere mitto; Scis enim agreſtibus, qui huc ſolent commeare, nullam omnino fidem in perferendis epiſtolis conſtare. Tu mihi tuam cum hac muliere voluntatem ſignifica; ſique huc quamprimum aduolabis, erit ea res & mihi ſummo gaudio, & tibi plura de his rebus audiendi voluptati. Archiepiſcopus, à quo Roma litteras accepi, creditur ad feſtos dies Natalitios affuturus. De cultu & decore huc veniendi te nulla

premat, aut moleſtè angat cogitatio; rem mihi totam permitte, qui te amo, & in oculis geſto. Vale; plura dum aderis; ſed valetudinis tuæ & ibi & in itinere rationem habe; commodo, & placido cœlo ad nos veni. iterum Vale.

Piſis calendis Decembris 1667.

hora quinta nocturna apud ignem iam in prunas alba aſpergine cinerũ collabentẽ.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

QVod Eminētiſſimo Principi Chiſio Epithalamium Cæſaris, & nunc fortaſſis Sanctiſſimo Pontifici obtuliſti, gratias tibi ex toto animo, humaniſſime Gradi, ſummas habeo. Boni Superi! quàm Elegia, & genio integerrimi Caſanattæ, & tua iſta numeroſa fœlicitate pangendi digna! in numeris vbique robuſta ſuauitas elegantiæ, priſcus lepos ſuo nitore amabilis ſpirat, immo ipſa Venus non volgiuaga, quæ hic exploditur, ſed cœleſtis, quæ placida maieſtate per interualla numerorum decorè incedit. Facis profectò, vt hoc ſterili elegantiarum ſæculo nihil iam priſcis ſub Auguſto Vatibus inuideri debeat. Quem nuper Hymnum in Diui Brunonis memoriã edidi, ad te iſthuc

per-

perferendum curaui; cùm verò, vt ſæpè accidit, non omnia quæ mittimus, tutò perferantur, aliud huc tibi, optime ac humaniſſime Gradi, in veteris meæ obſeruantiæ, cuiuſque perpetui pignus, exemplar miſi, atque pro vetere tua in me beneuolentia, etiam oro, vt quæ in hoc faſciculo exemplaria colligaui, ea meo digneris nomine Sanctiſſimo in primis Pontifici, Principi Chiſio, tum Eminentiſſimis, Scipioni Ilcio, & Cæſari Raſpono exhibere. Diuo Franciſco Saleſio ſuum quoq; Hymnum molimur; vbi diuina ope contigerit edidiſſe, efficiam, & ſi ea res tanti non ſit, vt inter primos videas; tibi enim me, & mea omnia iam pridem me debere intelligo. Hos verò natalitios dies feſtos ita tibi fœlices, fortunatoſque auguror, vt cum eo, quem ingredimur, anno nouis radijs reſplendente tua quoquè ſumma, ac præſtantiſſima virtus in noua, ampliſſimaque dignitate refulgeat. Ita è corde opto, voueoque. Vale.

Piſis decimo ſexto calendas Ianuarias 1666

Sanctiſſimo Domino Noſtro
ALEXANDRO VII.
Pontifici Optimo Maximo.

Romam.

OMnibus meis votis, Beatiſſime Præſes terrarum Alexander Septime Pontifex

ſex Maxime, optaui, vt hi ſacratiſſimi dies Dominicæ natiuitatis gaudio conſecrati quamprimum orirentur, vt ego ſcilicet dum preſens nequeo, animo ſaltem, ad Sanctiſſimæ Maieſtatis tuæ pedes prouoluerer; vnàque ex intimo meo animo gratias in primis ſummas, maximaſque tuæ Sanctitati haberem, cui placuit ex illo alto Apoſtolicæ Maieſtatis apice me vermiculum terræ non modò clementer aſpicere, ſed ipſa Apoſtolicæ benedictionis gratia & aureo tuæ imaginis monumento honeſtare. Ego porrò Maieſtati tuæ quid rependam? preces meas aſſiduas, quibus, vt quotidie ardentiſſimè facio, à Diuina clementia efflagitem, vt tua Sanctitas adhuc multos & multos annos incolumis vniuerſam Rempublicam Chriſtianam, quam nuper ſuo ſanctiſſimo nutu pacauit, in ſumma pace, ac tranquillitate regat, & tueatur. Cùm verò ſtimulos conatibus meis haud mediocres eximius Sanctitatis tuæ fauor, ac aurei Numiſmatis honos adderet, Hymnum quoquè Sanctiſſimo Brunoni molitus fui, quem hìc vnà cum litteris meis tuæ Sanctitati munuſculum annexi. Cæpi etiam Sancto Franciſco Saleſio laudes Hymno comprehenſas contexere, ac ope Diuina aſpirante propediem emoliar. Toto nũc meo corde opto, voueoque, vt hęc natalitia Numinis ſolemnitas cum noua ineuntis anni fœlicitate Beatitudini tuæ multo fauſtiſſima illuceſcat, & eam adhuc multæ aliæ longè plurimæ, plurimæque con-

conſequantur. Vale.

Piſis decimo ſeptimo cal. Ianuarias 1666.

Beatitudini Tuæ

Humillimus, deuinctiſſimuſq. Seruus
Petrus Adrianus Vandē Broecke Belga
a Tenaramonda ex Epiſcopatu Gādēſi.

Eminentiſſimo Principi
FLAVIO CARDINALI CHISIO
Sanctiſs. D. N. Alexandri VII. ex fratre Nepoti.

Romam.

ANte omnia, Princeps Chiſi, quas maximas & immortales debeo, tuæ ſummæ Amplitudini gratias habeo pro aureo Pontificiæ imaginis monumento, quo tua eximia & admiranda humanitas meam voluit tenuitatem honeſtare. Addo inſuper quas pro tua longæua incolumitate preces ſummo Numini perſoluam, atque hanc reor animi mei voluntatem tibi omnium multo, humaniſſimo Principi gratam fore. Nunc verò vt ingenij mei conatus tuo iſto, Sāctiſſimiq; Pontificis tam prono de me iudicio, ac honorificentiſſimo munere excitati alacriores appareāt, ipſi quoque Brunoni apoſtolicæ ſanctimoniæ Viro Hymnum contexui, quem his vnà litteris, vt paulò gratiores

res hoc ſancto comite ad limina Vaticana perueniant, annectendum putaui. Deum verò Optimum Maximum precor, vt hi magni natalitij dies tibi multo fauſtiſſimi illuceant, cumque anno ad noua exordia conuerſo, alijſque quamplurimis ad noua initia conuertendis, plurimi ac plurimi fæliciſſimi ſemper redeant. Vale.

Piſis decimo ſeptimo calendas Ianuar. 1666.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, Deuinctiſſimuſq; Seruus
Petrus Adrianus Vãden Broecke Belga à Tenaramonda ex Epiſcopatu Gãdẽſi.

Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
D. SCIPIONI CARDINALI ILCIO.

Romam.

GRatias in primis ſummas, atque maximas, Eminentiſſime Ilci, habeo, quòd tua humaniſſima Amplitudo mihi homini nouo, & in hac Italia peregrino, vixque tibi à paucis diebus noto, tam beneuolè amãtiſſimis litteris dignata ſit non modò ſuam mirificam humanitatem teſtari, ſed mei quoquè ten uitatem ingenij, ipſoſque conatus, quibus ſubinde aliquid in Sanctorũ Cœlitum laudes molior, inſig ni commenda-

da-

datione attollere, quam etsi à tuo ſummo iudicio proficiſci non poſſe exiſtimem, eam tamen vt ab eximio amore, & in homines tranſalpinos affectu emanantem toto animo amplector, vtarque deinceps quaſi honorificentiſſimo ſtimulo, vt eas laudes, quas nedum merui, poſſim maiori poſthac ſtudio, diligentia, ac alacritate promereri. Me interim Amplitudini tuæ cum perpetua tui colendi, obſeruandique voluntate, tum cũ belgica amandi ingenuitate totum dedo; atque in huius amoris mei, obſequijque fidẽ ac pignus, quem Diuo Brunoni nuper Hymnum contexui, cum ſumma demiſſione Amplitudini tuæ exhibeo. Tum ex intimo meo corde voueo, vt hi ſacroſancti Natalitij dies cum nouo, fauſtiſſimoque anni exordio, tibi nunc fœliciſſimi obtingant, & per longam adhuc annorum ſeriem fœlicisſimè recurrant. Vale.

Piſis decimo octauo calendas Ianuarias 1666

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D.
D. CÆSARI CARDINALI RASPONO.

Romam.

CVm nuper Franciſco Comiti Ilcio Archiepiſcopo Piſano quædam Hymni mei exemplaria iſthuc mitterem, tibi quidem, Eminentiſſime Cæſar, in mei cultus, obſequijque ſignificationem exemplar miſi;

ſed

ſed nequaquam auſus fui tot tuis ſerijs negotiis; grau busque rerum humanarum momentis, tempore tunc maximè alieno me obtrudere. Itaque hæc ſolita, quibus Patronos maximos veneramur, tempora, miro cum deſiderio expectaui. Nihil enim mihi in omni vita iucundius eſſe poteſt, quàm in eam occaſionem incidere, qua mea poſſim ſtudia, & incredibilem tui colendi, obſeruandique amorem exprimere. Quæ officia etſi ante cum multa alacritate libentiſſimè ſemper præſtiti, ea tamen etiam aliquanto alacrius libentiuſque nunc præſto, quòd videam hanc meam voluntatem, qua te belgico candore ex intimis animi mei sẽſibus totus veneror, colo, ac obſeruo, ab humaniſſima Amplitudine tua non modò libenter agnoſci, ſed me quoquè, dum aliquid publicè tento, commendari. Quæ res effecit, vt toto reliquæ meæ vitæ tempore non poſſim non deuinctiſſimus Amplitudini tuæ viuere, teque vt præcipuum huius æui ornamentum cum omni cultu ſuſpicere, ac venerari. Nunc etiam aliquid in Diui Brunonis memoriam luſimus, id, quæſo, vt cætera mea ſoles, hilari vultu aſpice; dum ego precibus meis ab Altiſſimo efflagito, voueoque, vt hi magni dies orto Numine conſecrati, tibi nunc multo fæliciſſimi, & poſt ſæpius ac ſæpius ad longè plurimos annos illuceſcant. Vale.

Piſis decimo octauo cal endas Ianuarias 1666

Cla3

Clariſſimo Viro
LAVRENTIO ADRIANIO.

Campum Maiorem.

BInas paris elegantiæ ac humanitatis litteras à te accepi. Priores Nauarrettus Archiepiſcopo Piſas redeunti in itinere obuias miſit. Hodie inter gratulandi officia, ipſum Antiſtitem tuo quoquè nomine cum ſumma demiſſione cultus, ac obſeruantiæ tuæ ſalutaui; tum addidi me in mandatis habere, vt tuis etiam verbis ſupplicarem, vt Seminarij prouincia tibi committeretur. Hæc verò Antiſtes reddidit, ſibi mirificè tuas litteras ob facilitatem elegantiæ placuiſſe; tum nihil de ijs omnibus, quæ ego de tua præclara virtute prædicarem, dubitare; proinde mandauit, vt hæ præſentes ſubitò à me exararentur, quibus cupit te hic quamprimum videre, ac ſtatuere de eo tēpore, quo huc te poſſis totum transferre. Proinde quo id celerius fiet, eo gratius humaniſſimo Antiſtiti accidet. Hic tibi cognomenta italica, & cuiuſque decus, quibus officiosè ſcribas, incluſi. Miror tuos iſthic municipes tuæ tam præclaræ fortunæ inuidere, cui ampliandæ eos totis viribus conniti oporteret. Sed hic quoquè ſcopulus ſuperabitur. Tu interim eos leni & placido animo demulce, ac quamprimum præmiſſo officio litterarum ad nos excurre ad municipes tuos rediturus, vt tunc demum cum honeſtiſſima omniū pace huc proficiſcaris.

me

me tui amantem ama. Vale.

Piſis quarto nonas Ianuarij 1667.

Hodie hora tertia pomeridiana ſtipendia noſtra Piſana quaſi vnanimi conſenſu ſuffragiorum in aliud triennium prorogata fuere. Iterum vale.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO ADRIANIO.

Campum Maiorem.

STatim accepto faſciculo tuarum ad ædes Palatinas perrexi, tuaſque Archiepiſcopo obtuli, quas vbi dum ad ignem ſtaremus, perlegit, iterum noua, multoque maiore quàm vnquam ante tui videndi cupiditate deflagrauit, mirificoque tui promouēdi ſtudio, quantum mihi licuit ex humaniſſimi Antiſtitis vultu, animo, ac verbis cognoſcere, accenditur; ac iterum mandauit, vt hoc iter maturandum ſuſcipias, nihilq; earum rerum, quæ ad tua commoda in Seminario augenda pertinebunt, defuturum putes. Nauarrettus, ac Caſtracarius ſuas, quas miſiſti, hilari vultu accepere. Plura coram; meque tuis commodis, ac proferendæ dignitati deditiſſimum ama. Vale.

Piſis pridie idus Ianuarias 1667.

Cla-

Clariſſimo Viro
LAVRENTIO ADRIANIO.

Campum Maiorem.

IDibus Ianuarij, & poſtridie cœlum conficiendo itineri aptiſſimum fuit, teq; iſtis diebus lator tuarum procul dubio venturum tuis verbis promiſit; dies conſequentes fæda humiditate cœli etiam volenti iter impediuere. Archiepiſcopus, ſi meas à Morando iſthic municipe accepiſti, te videre auidiſſimè peroptat; miraturque nihil noui poſt ſupremas litteras de tuo aduentu intellexiſſe. Tu quæſo omnem moleſtiam conficiendi itineris, etſi biduum cauſa ſeruandæ valetudinis impenderetur, vince; & te tanto Antiſtiti tui deſiderio incredibiliter deflagranti gratum oſtende; neque huius gratiam cum aliqua etſi ſumma iſtorum municipum gratia æquari poſſe exiſtima. Conſilia quoquè domeſtica, poſtquam te iam optimo & munificentiſſimo Antiſtiti addixiſti, ſperne omnia, ſi eis te aliquando profuturum intelligis. In ſumma feſtinatione hæc pauca exaramus. Tu iis hominibus aut lubentibus, aut inuitis etiam ad nos excurre, ſed citò ac breui. me ama. Vale.

Piſis decimoquinto calendas Februarij 1667

Clariſſimo, ac Illuſtriſſimo Viro

ÆGIDIO MENAGIO.

Lutetiam Pariſiorum.

IAm à multis & multis annis miro ſemper deſiderio flagraui, vt tibi, Vir clariſſime, quem priuato meo cultu, atque obſeruantia tacitè venerarer, poſſim aliquādo palam venerationis meæ obſequio innoteſcere. At cùm de tua eximia doctrina, & ſumma tui nominis celebritate cogitarem, ſtatim intra ſilentij limites cum tacito meo cultu, ac amore relabebar, veritus ne, ſi me ignotum, & nullius litteraturæ hominem tibi omnium elegantiarū Promocondo obijcerem, inſigni temeritatis nota afficerer. Fauerunt mihi tandem boni Cœlites; Clariſſimus Redius, qui tibi ex hac Hetruria inter principes Amicos ſāctę neceſſitudinis vinculo totus adhæret, hós mihi metus, cùm de tuo eximio candore, ac facillima humanitate ſumma cum laude loqueretur, planè ademit, vtque animoſius, vt nunc facio, meum tibi amorem cum ſingulari cultu, obſeruantiaque coniunctum teſtarer; ipſe vltro ſe quodammodo vade, ac parario ſpopondit fore, vt faciles ad tuæ amicitiæ limina aditus reperirem. Quamrem omnibus votis à tua mirifica humanitate ſpero, immo hoc quoquè deſiderium numeris vtinam ad memoriam poſterorū exaratis incluſi. Tu verò, cultiſſime Menagi, omniū litteratorum decus, tamdiu in omni

poſteritatis memoria manſure, quamdiu litteræ manebunt, a tuo nouo, ſi finis, ſeu cliente ſeu amico, plurimum ſalue, atque incolumi florens valetudine æuum Neſtoris vince. Vale.

Piſis decimo ſecundo calẽdas Februarij 1667

ÆGIDIVS MENAGIVS

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE

Piſas.

SI commendatione apud me egeres, non potiori, quam Rediana vti poſſes: tot ſunt Redij erga me ſtudia, officia, beneficia; tantæque eſt ille apud me authoritatis. Verùm commendatione apud me non eges, ipſe per te cognitus. Diu eſt, Vir clariſſime, quòd te fama notiſſimum plurimi facio quare & amicitiam tuam non plurimi facere non poſſum quoque. Eam igitur lubens amplector; laudes verò tuas neque accipio, neque agnoſco; quas tamen ne mentiar, cùm ab amore proficiſcantur, non inuitus legi. Legi autem verſus tuos libentiſſimè; nam (prætetquamquod in illis amor in me tuus ex omnibus partibus ſe extẽdit,) latini, faciles, elegantes, &, vno verbo dicam, planè horatiani mihi viſi ſunt. Noli igitur dubitare, mi iucundiſſime Brocchi, ne ſi ad me

ex-

cæteros miſeris, quin ſit id mihi vehementer gratum, Paro hic meorum poematum nouam editionem; cùm liber exierit, quod breui fore puto, curabo vt ad te perferatur. In eo tui mentionem facere equidem velim, an poſſim dubito, nam diu eſt, quòd Muſis vale dixi; & vt inquit ille, Muſam tacendo perdidi. Videro tamen. Vale vir doctiſſime, & me tui ſtudioſũ amare perge.

Lutetiæ Pariſiorum quinto cal. Martij 1667

Illuſtriſs. ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO REDI.

Labeonem.

OPtaui quidem antequam iſthuc Sereniſſima Aula proficiſceretur, tibi in primis, clariſsime Redi, cui & veteribus, & nouis nominibus totus deuincior, incolumitatem itineris augurari; ſed cùm ijs, quibus me hæc prouincia addicit, laboribus impedirer, atque cœlum aſperrimis ventis turbaretur, mea tunc obſequia, & ſi id ſummoperè optaram, deferre non potui; Rogo itaq; vt id pro tua iſta ſumma humanitate non inertiæ meę, ſed ipſi potius tempori attribuas; eo magis quòd tibi de animo meo tuis ſummis virtutibus, ſummæ laudi, ac gloriæ deditiſſimo abundè conſtet; meumque candorem cum ingenua tui colendi conſtantia coniunctum probè noris;

ſed

Sed hęc ferè nimia apud te, qui totus humanitas, totus benignitas, vbiq; audis, neq; pro tuis ceſſas magnum iſtum hetruſcum Męcenatem hetruſcus æmulari, ac larga in homines litteratos munificentia celebrari. Teſtis ego, & alij complures in hoc florentiſſimo Hetruriæ tractu. Litteras clariſſimi Menagij inter cimelia repoſui, tibique hoc nomine ſummas ac maximas grates habeo, qui me tanti nominis, ac tam altæ doctrinę viro primus inſinuaſti. Hymnum D. ui Saleſij ad calcem perduximus; cùmque id vindicare ius Patrię videatur, Sereniſſimo Allobrogum Duci inſcribam. Tibi porrò rei meæ familiaris tantillum conſtituendæ patrocinium apud Auguſti Ferdinandi Celſitudinem ex animo commendo. Salue mi Redi, pulcherrimum Hetruriæ decus; ac Deus te quam longiſſimè incolumem conſeruet. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Aprilis 1667.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FRANCISCO MARCHIONI COPPOLI
Magni Ducis Hetruriæ Cubiculi Præfecto.

Labeonem.

ETſi muneris mei labores animo ſemper alacri libentiſſimè feram, nuper tamen cùm in eos dies inciderent, quibus Aula Tyrrhena Labeonem profectura diceba-

tur,

tur, id mihi moleſtiæ attulere, quòd tibi, Vir Ampliſſime, cũ Sereniſſimo Ferrãte proficiſcenti, fauſtum & incolume iter augurari nequiuerim. Animo tamen hæc ipſa obſequia quamuis abſente veneratione omnino detuli, meiſque verbis a filio tuo Abbate Alexandro efflagitaui, vt hoc me nomine Amplitudini tuæ purgandum ſuſciperet. Cui enim ex Proceribus Hetruriæ aut plus debeo, aut maioribus beneficentiæ vinculis, quàm tibi, obſtrictus viuo? profectò nemini; Tu me Auguſtæ Celſitudini Principis primus commendaſti, tuaque opera gratuito ſtipendio à munifico Principe honeſtatus ſui; tuoque fauore ac gratia futurum confido, vt hæc gratia ſtipendij, annua magni Ducis oraculo declaretur. Ego quid rependam? pro longiſſima vitę tuæ incolumitate vota & preces apud Numen. Hæc ſcio Amplitudini tuæ placere, nec aliud à me poſci. Filio tuo Marchioni Camillo nuper ad Catholicam Maieſtatem Hiſpaniarum pro Sereniſſimo Magno Duce Hetrurię legato cum omni veneratione ſalutem aſcribo. Ipſi Abbati Alexandro & litteras, & ſi animus erit aliquid pangere, materiam mitto. Vbi placuerit commentarios de perluſtrata Europa, de honoribus, quos à Cæſare, ac Regibus accepit, mittere, hæc omnia Panegirico, quem ipſi Camillo Marchioni emoliri conſtitui, Superis bene iuuantibus inſerenda putaui. Vale.

Piſis quinto calendas Aprilis 1667.

Illuſ.

Illuſtriſſimo D.
ALEXANDRO ABBATI COPPOLI.

Labeonem.

CVm quotidie Sereniſſima Aula huc reditura diceretur, hæc ipſa, quibus te iſthic venerarer, obſequia tantiſper inhibui; verùm cùm nunc alij nuntij de longiore iſthic Principum mora afferantur, non proferenda amplius officia litterarum putaui. Suas quoquè officij & venerationis cauſa Patri tuo Viro Ampliſſimo miſi; vtq; tibi de meo in te ſingulari ſtudio, amore, ac obſeruantia propiùs conſtaret, quæ te abſente ſubinde luſimus, aut dictauimus, hic Italico ſermone includimus, vt ſi aliquando animus eſſet, ea poſſes latinis numeris exprimere. Ambo Arnolphinij fratres tibi officioſiſſimã ſalutem nuntiant. Rerum nouarum nihil à tuo hinc diſceſſu obtigit. Solùm Lucæ dicitur nocturnum ſpectrum equo inſidens vibrata luminoſa face partem vrbis ſub mediam noctem infeſtare. An res vera, an ficta, an ſcelerata cuiuſdam hominis perditi ſit audacia, ignoratur; metus tamen, vt fama eſt, aliquos, qui laruam inequitantem videre, lectulo affixit. Res, obſecro, meas ampliſſimo tuo Patri Marchioni etiam atq; etiam commenda. Tu verò, generoſiſſime Alexander, & per magna Parentis, tuique Fratris veſtigia ad apicem præſtãtiſſimę virtutis, quem te breui conſecuturum eſſe confidimus, aſcende; & à me tuo nomini,

 ac

ac gloriæ planè dedito ſalue. Vale.

Piſis quinto calendas Aprilis 1667.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Stephanus Gradius.

Piſas.

CVm diu, multumque occaſioni fuiſſem intentus curandi tuum de oſtendendis Sanctiſſimo Domino Noſtro ad me miſſis verſiculis mandatum, adhuc ſucceſſu caret conatus hic meus propter iniquitatem temporũ, quibus Apolline medicorum potius, quàm Muſarum præſide opus habemus; eaque de re differendam mihi putaui etiam aliorum, ad quos idem hoc munus mittis, eius fruendi voluptatem: vt tamen aliquem tandem tantæ moræ modum faciam, volui huius mei facti, conſilijque certiorem te facere, meamque perpetuam erga te voluntatem, & quanti ingenium, doctrinamque tuam faciam tibi teſtari. Cæterum, quod magnificè de exiguo illo meæ Muſæ impetu ſentire te ais, humanitatem potius ea in re, quàm iudicium accipio, agnoſcoque. Vale & me vt facis ama.

Datum Romæ calendis Aprilis 1667.

Pre-

Præſtantiſſimo, ac Clariſſimo Viro
FEDERICO NOMIO.

Aretium.

QVæ tua hæc humaniſſima indoles, Federice, qui me hominem ignotum, & procul ab Italia oriundum, tam amanter, ac beneuolè appellas? immo & munere elegantiſſimo donatum veniſti, tuo inquam iſto præclariſſimo fœtu ingenij, libello verè aureo, omnium elegantiarum, quibus hetruſca fælicitas Muſarum commẽdetur, pleniſſimo? quot in eo pagellas euolui, tot vbiq; gazas reperi, quas natiua maieſtas canendi locupletes, pretioſas, & amabiles reddit; quippe hìc ſtylus alieni abſtinens, ſuis opibus diues, ſuam cum pulcherrimo cultu munditiem tuetur, neque aliquid aſperitate, aut faſtu inquinatum admittit. Perge in hoc ſtadio virtutis manſuram tui nominis æternitatem apud poſteros propagare. Ego verò hanc tibi publicam laudem ex animo gratulor; viditque Clariſſimus Redius, huius æui, & totius Italiæ egregium decus, cùm tuas (tunc affecta valetudine in lectulo decubui) mihi litteras obtulit, me miſto admirationis, ac lætitiæ ſenſu recreari. Quid ni? tu mihi pridem vulgata eruditionis tuæ fama, & eximia laude innotuiſti. At ego quis? aduena, & peregrinus, & ſolo modeſtiæ, aut exiguæ doctrinæ nomine, optimis ac integerrimis viris ſeu gratus, ſeu cognitus. Ecce aureo tuo mu-

neri quid audeam reponere? plumbum; meas inquam lucubrationes latinis numeris exaratas; Eas, obſecro, grato animo a gratiſſimo tibi amico accipe, & me in iſtis tuæ egregiæ virtutis cultorem agnoſce. Sed quibus, clariſſime Federice, tu me oneras præconijs? itanè affectui iudicij acrimoniā poſtponis? Laudes non agnoſco, tuum tamen amorem, a quo has video dimanare, toto penitus animo accipio, amplectorque; quin tecū in hoc mutuo amandi officio certare deinceps non ceſſabo. Reliquæ valetudinis nedum depulſæ officia celerius reſpondendi in hoc tempus protulere. Velis obſecro alterum faſciculum meo nomine Illuſtriſſimo veſtro Antiſtiti Saluiato exhibere. Tu verò, iucundiſſime Federice mi, plurimum ſalue, & me tui peramantē ama.

Piſis poſtridie calendas Aprilis 1667.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
D. THOMÆ SALVIATO
Epiſcopo Aretino, & Principi.

Aretium.

IAm à multo tempore optaui, vt ſe aliqua opportunitas exhiberet, qua & meæ venerationis ſtudia tibi, humaniſſime Antiſtes, deferre, & vnà poſsim efflagitare, vt me clientibus tuis, & ſi vltimis, inſeri paterere. At cùm iuſta occaſio abeſſet, & pudore quo-

quodam meo retentus non auderem ſic me tibi ignotum hominem obijcere, conſtitui ipſorum Cælitum ope, tamquam occaſione magis fortaſſe idonea & conueniente, vti. Superioribus annis meæ partim ſtudio pietatis, partim alieno hortatu, vt ingenij mei imbecillitas tulit, nonnullis Sanctis Cœlitibus Hymnos latinis numeris exaraui; Sacratiſſimæ in primis Virgini Mariæ, tum Sanctis Thomæ Villanouano, ac Brunoni, ac Sanctis Virginibus Piſanis Bonæ,& Vbaldeſchæ. Hæc nunc exemplaria Hymnorum tibi, ò optime, ac integerrime Antiſtitū, eo lubentius mitto, quo certius ea tibi vel ſolo titulo pietatis placitura eſſe confido. Atque vtinam tam fœlix ſim, vt hoc pii laboris intuitu propiùs tuæ ſanctæ benignitati innoteſcam, neque indignus videar,quem ſubinde precibus tuis clementiſſimo Numini commendes, quæ mihi res inſtar omniū diuitiarum erit, quas in hoc mortalitatis curriculo à quoquam poſſim locupletiſſimo Rege, aut Principe deſiderare, obtinere,ac frui. Me interim beneuolentiæ tuæ cum candido amore, cultu, & obſeruantia totū dedo, voueoque,vt à Summo Numine, quo diutius benemereri de rebus humanis poſſis, longiſſima tibi vitæ incolumitas obtingat. Vale.

Piſis tertio nonas Aprilis 1667.

Clariſſimo Viro
B A S I L I O R I G H I
Ex Ord. Carthuſiano Priori Vallis Gratioſæ apud Piſas.

Carthuſiam Vallis Gratioſæ.

ETſi amicorum litteræ mihi ſemper omnes iucundiſſimæ ſint, tamen ſuperioribus tuis, Baſili optime, nihil vnquam mihi memini aut gratius, aut iucundius, aut animo meo optatius accidiſſe: in iis enim incredibile dictu eſt quanta animi voluptate, quanto gaudio ſim perfuſus, cùm legi Reuerendiſſimum Pegonium toti veſtræ Carthuſianæ familiæ Præpoſitum ſuo tecum communicato oraculo me omnium bonorū operum, quæ per ſingula Religionis domicilia quotidie fiunt, participem declarare, iiſdemque poſt obitum ſuffragiis fruiturum, quibus vos ipſi Summo Numini in iſta ſolitudine conſecrati fruimini. Gratias hic tibi quas poſſum maximas aſcribo, qui tuis litteris effeciſti, vt a Reuerendiſſimo Antiſtite hoc mihi tam iucundo, tam optato munere, ac vberrimo fructu locupletarer. Meas hic vnà mitto, quibus humaniſſimo Antiſtiti Pegonio gratias, non quales debeo, ſed quales poſſum, habui. Siui apertas, vt a te legi poſſint, & clauſæ ad magnam Carthuſiam mitti. Expecto cum incredibili deſiderio, quas mihi miſſurus es litteras ſigillo magnæ Carthuſiæ munitas. Poſt Brunonem Hymnum, quoquè Diuo Franciſco

Sa-

Saleſio exaraui, vbi facta impreſſione vulgabitur, inter primos habebis. Salue, clariſſime Baſili, tui Ordinis egregia lux, meq; tui nominis amantiſſimum ama. Vale.

Piſis nonis Aprilis 1667.

Reuerendiſſimo Patri, Domino
D. IOANNI PEGONIO
Totius Ordinis Carthuſiani Generali,

Ad magnam Carthuſiam in Gallia.

VErba mihi deſunt, humaniſſime Pegoni, quibus & animi mei lætitiã exprimere, & tuę poſſim mirificę benignitati dignas ſatis;& idoneas gratias habere Habere inquã, cùm eas referre, &ſi id toto animo cupiam, tenuitas mea non poſſit. Nunc profectò agnoſco ex meo iſto labore, quem in celebranda memoria Sanctiſſimi Viri Brunonis ſuſcepi, fructus mihi multo vberrimos prouenire, & eiuſmodi bona obtingere, qui bus non modò frui in hoc vitæ curriculo poſſim, ſed etiam a meo hinc mortali diſceſſu in loco expiationis plurimum iuuari. Loquor de tua eximia bonitate, qua me omnium operum bonorum, quæ in tota Religione fiunt, participem facis; quin eadem ſuffragia poſt mortem, ac ſi ego in tua ſanctiſſima familia ſolitudinem amplexus viuerem, mihi per ſingulas Ædes Carthuſiæ impertienda eſſe declaras. A me verò tuæ ſummę

benignitati quid rependetur? gratiarum actio ſumma, mearumque aſſiduitas prec ũ, quibus á Deo Optimo Maximo efflagitem, vt tibi, integerrime Pegoni, in bona totius Ordinis, cui ſanctiſſimè præes, & longa, & florentiſſima vitæ incolumitas obtingat. Hymni Diui Brunonis exemplaria Sanctiſſimo Pontifici Alexandro Septimo, & nonnullis Purpuratis Principibus Romam miſi, tibique iſthuc centum alia exemplaria, ſi ab his Patribus Italis, dum ad comitia itur, perferendi cura ſuſcipietur, breui mittenda curabo. Hymnum quoquè Diuo Franciſco Saleſio emolior, quem animus eſt Regiæ Celſitudini Caroli Emanuelis Ducis Sabaudiæ inſcribere; efficiamque vt exemplar tibi ad magnas ædes Carthuſiæ perferatur. Nunc me tibi cum omni obſeruantiſſimo cultu, ad amore penitus dedo, ac ſubmitto. Vale.

Piſis poſtridie nonas Aprilis 1667.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

DVm quotidie, humaniſſime Redi, id cogito, vt te aliquo mearum obſequio, quod tamen argumenti inanitate careret, appellem, neque ea res interim mihi commoda, aut opportuna eueniret, cæpi meam ipſe

ipſe ſterilitatem ingenii damnare, qua ne id quidem à me effici poſſet, vt ſaltem officio non deeſſem meo, ſi vel ipſa beneficia, quæ in me multo plurima contuliſti, grati animi ſignificatione renouarem; atque in hac ipſa dum cogitatione verſor, ecce inſperatum mihi, ac digniſſimum epiſtolæ argumentum repentè obtigit; ſed vereor, ſi illud vſurpandum ſuſcepero, ne frontem planè abieciſſe, aut nimia apud te confidentia vti videar. Quicquid id eſt, tuam ipſam, quæ mihi perſpectiſſima eſt, humanitatem amplector, cui ſcio nihil vnquam graue poſſe accidere ab iis hominibus, qui ſe ſemel in tuam fidem, atque amicitiam contulere. Roſſius à Blentino lacu, quo hic Equeſtris Militia Diui Stephani tuendæ valetudinis cuſtode vtebatur, biduo vi morbi oppreſſus deceſſit. Is locus in Equeſtri Religione vacat. Inter alios competitores Macheronius, optimus ac integerrimus ciuis, quem hìc ſcis egregia tum aſſiduitatis ſuæ, tum artis medendi laude apud ſuos ciues florere, ſeſe offerendum putauit. At vide quanta iam ſit illius hominis humanitas, aut tua iam vulgata in me beneuolentia, qui meas quoquè litteras, ſi ſcribam, aliquod apud te pondus habituras eſſe cõfidit. Quapropter, clariſſime Redi, cùm tua vnius cauſa me ab optimis, & egregiis ciuibus honorari vides, hæcque omnis res non tam in me, quàm in te ipſum redundare debeat, te etiam atq; etiam vehementer oro, vt ſi opus

ſit, vel nutu, vel ipſo Sereniſſimi Magni Ducis oraculo, omni ſtudio, & qua plurimum apud Principem polles authoritate, enitare, vt huic optimo viro, tuo in primis nomini ac gloriẹ deditiſſimo, hẹc ipſa equeſtris prouincia medendi obtingat. Littera ad Nomium, & ſanctum iſtius loci Antiſtitem cū faſciculo Hymnorum, alijſq; luſibus perferendas Aretium curaui. Marchionibus Coppolo, & Corſinio, cæteriſq; Tyrrhenæ Aulæ Proceribus cum omni cultu, & obſeruantia ſalutem aſcribo. Tibi ò decus Italiæ longiſſimi æui incolumitatem opto. Vale.

Piſis tertio calendas Iunij 1667.

THOMAS SALVIATVS
Epiſcopus Aretinus.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Piſas.

Litteras tuas tertio nonas Aprilis datas ego ſerius vnà cum carminibus tuis accepi; nam ineunte Iunio redditæ fuerunt, quibus perlectis equidem valde lætatus sū, cum tali ingenio, quale tuum omnibus iam perſpectum eſt, talem etiam animum erga me plenum amoris, coniunctum eſſe. Quid enim eſt rerum omnino omnium, quod mihi bonorum, & doctorum beneuolentia videtur optabilius? itaque cùm ep iſtolam tuā pri-

primò legiſſem, eamque omni officio, ac humanitate refertam (eſt enim ſuauiter, & ornatè, & peramanter ſcripta) ab illius ſtatim lectione ad Poemata tua me contuli, in quibus præſtantis ingenij tui acumen, & pietatis ſtudium agnoui. Pro his omnibus gratias ago; quas vt poſſim etiam referre, velim vtaris opera mea, quam ex animo tibi polliceor. Vale.

Aretij ſexto idus Iunij 1667.

Clariſſimo Viro

IACOBO ROSSI.

Lucam.

ERat in votis cùm Adrianius iſthuc proficiſceretur, vnà ad te litteras dare; ſed cùm per id tempus acri diſtillatione, & etiã grauedine capitis laborarem, eo tunc fungi officio non potui; nunc diuina ope aliquanto melius valemus; me verò non mediocriter afflixit, quod te minus bellè habere intellexi; id tamen mœrorem meum lenijt, quòd ſpes ſit te breui firma & optima valetudine vſurum. Sequimur etiam nunc vetus inſtitutum aliquid pangendi; ſed vide quàm cunctanter omnia emolimur; alia & alia verſibus ſubſtitutio frequentiſſima occurrit, quæ prius placuere, neſcio an meo, an alieni iudicij metu mutarim; mutaui tamen, vt omnis anſa liuori, aut delicatis

quibusdam ingenijs eriperetur. Si id non ſit, mea modeſtia tuebor, & in partem laudis ducam; quòd hactenus pleriſque litteratis, tuique ſimilibus viris placuiſſe contigerit. Quæſo pro vetere noſtra neceſſitudine, & tua eximia in me voluntate, eam mihi operam impende, vt exemplaria Hymni quampurgatiſſima a mendis excudantur. At ecce hic denuò aliquid elidimus. Quid, inquis, & quæ finis mutandi? Sub finem Poematij, vbi Saleſius rebus humanis excedit, eſt hic verſus. *Mortales artus, & membra exanguia ponis*, quem elido. quid ais non probus eſt? probus quidem, ſed cùm is integer in alio meo Hymno impreſſus legatur, non potui non elidere. hunc verò ſubſtitui. *Liber, ouanſque animo rebus mortalibus exis*. Mihi multo gratiſſimum foret, ſi typographus primo quoquè tempore impreſſionem maturaret, quòd eam ſtatim Sereniſſimo Duci Allobrogum Auguſtam Taurinorum mittere conſtitui. Video enim fore, vt ſi Regia iſta Celſitudo dimiſſo exercitu cum Geneuatibus concilietur, planè ſit frigida narratio, qua in extremo Hymno Vrbis iſtius excidiũ optamus; ſtante verò bello æquiſſimi voti laude non careat. Tu, clariſſime Roſſi, litteratorum Hetruriæ egregium decus, mihi plurimum ſalue, tuamque valetudinem diligentiſſimè cuſtodi. Vale.

Piſis decimo ſexto calendas quintilis 1667.

Illu-

Illuſtriſſimo, ac Ampliſſimo Viro
FERRANTI CAPPONI
Magni Ducis Hetruriæ Auditori.

Florentiam.

ETſi iam tot nominibus obſtrictus nihil aliud æquè cupiam, quàm Amplitudini tuæ crebro venerationis officio obſequi, atque animi in primis grati ipſa quodammodo ope litterarum teſtimonium exhibere; tamen cùm de earum rerum mole, quæ te grauiſſimæ, & quotidianæ ſolent diſtinere, cogito, omnis hic meus ardor, quo te palam optem reuereri, ſuo quaſi pudore retentus conquieſcit. Nunc verò cùm ea ſit frontis meæ infirmitas, vt nihil poſſit amicorum precibus negare, factum eſt vt audeam Auguſtinum Devvit hominem miſertimum iſthic titulo alieni æris in publica cuſtodia retentum ab omni tuendę vitę pręſidio per ſummam aduerſariorum iniquitatem ſpoliatum, tuæ integerrimæ ac humaniſſimæ Amplitudini commendare. De cauſa, & conteſtata in Labeonenſi ac Piſano foro lite, &, quæ conſecuta fuère, iudiciis tibi liquet. Id vnum te etiam atque etiam iis omnibus, quæ ex cogitari poſſunt, precibus quamuehementiſſimè, quamardentiſſimè oro, vt ſalua æquitate, huic homini innocentiſſimo, potentia, ac opibus aduerſariorum oppreſſo, tua in primis ſententia, atque authoritate ſubueniendum putes; eo præſertim titulo, quòd homines iſti aduer-

ſarii à Romana noſtra perſuaſione alieniſſi-
mi cùm vidiſſent hūc virum ad Fidei noſtrę
myſteria amplectendā diuinitùs traductum,
eum ſtatim impiis, & clandeſtinis conui-
tiis apud ſuos lacerandum, mox etiam re
tota familiari per fas & nefas exuendum
ſuſceperint, ac paſſim iactent, vbi in comeſ-
ſationibus nox protrahitur, ſe poſſe omne
ius muneribus, & donis euertere. Tu quę-
ſo, Vir Ampliſſime, ſeu Fidei Romanę ſāctī-
tatem, ſeu nomen, & decus Italicæ digni-
tatis reſpicis, paulò altius in iſtorum ho-
minum mores inſpice, non te fallet profe-
ctò os iſtud hominum ad candorē, & ruſtica-
nę ſimplicitatis indolē confictū. Vbi optimi
viri ad cęnas, et veſpertina pocula dilabūtur,
tunc vos ſtolidis conuitiis, dum alter alteri
per inquinatas mero menſas calicem protē-
dit, paſſim proſcindunt. Sed quid ego hęc
tibi, Vir Ampliſſime? Auguſtinum, obſecro,
iniuriæ & iniquitati aduerſariorum ereptū,
ſquallori, & vinculis exime, ſique in opes
& dignitatem non poſſis, ſaltem hominem
tui nominis amantiſſimum in libertatem
aſſere. Tuque integerrimum ac ampliſſi-
mum decus Italiæ a me plurimum ſalue, &
patrocinio, quo ſoles complectere. Vale.

Piſis ipſis calendis Quintilis 1667.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

SI quicquam, omnium humaniſſime, ac munificentiſſime Italorum Redi, mihi credis ſeu clienti tuo perueteri, ſeu amico, effeciſti profectò tua iſta nimia liberalitate, vt deinceps mihi videar neque clientis, neq; amici nomen poſſe ſuſtinere, ita me tuis oneratum beneficiis ſentio, pro quibus vtinam vt nunc gratias habeo, ita eas poſſim aliquando referre. Sed id cùm mearum virium non ſit, confido fore, vt hæc omnia aliunde, vel ab ipſo Numine cumulatiſſimè reſarciantur. Certè poſt Auguſtam Celſitudinem Ferdinandi nemo propius rebus meis familiaribus quàm tu ipſe, nullo quidem merito meo, ſed tua vnius egregiæ humanitatis indole, proſpicit. Sed cùm hæc quoquè verba tuæ munificæ moderationi oneroſa fore intelligam, iis ita abſtinebo, vt tāta tamen beneficii memoria animo meo nunquam poſſit excidere. Homo agreſtis colonus, puto, Groſſii, pixidem nummariā pridie idus quintilis ad me tulit. Eſt ſub prælo Hymnus Diuì Saleſii, qui impreſſus ad te iſthuc primo quoq; tempore perferetur. Litteras humaniſſimas à ſanctiſſimo viro Thoma Saluiatò Epiſcopo Aretino ſua manu exaratas accepi, quas mihi animus eſt vt pignus ſacrum cuſtodire. Nunc molimur Panegyricum Camillo Marchioni Coppolo nuper

nuper ad Catholicam Maieſtatem Hiſpaniarum Legato; et iam ad verſus nouem & ſeptuaginta perduximus. Valetudine, vt nũc quidem eſt, ſatis commoda vtimur. Sed ſoliti inclementia Cœli hìc incipit rurſus a multis laborari; Sed ferenda ſunt omnia; nam niſi genus humanum deſierit, morbi eſſe non deſinent. Si quid à clariſſimo Menagio noui eſt, & noua iſthuc ſuorum voluminum impreſſio peruenerit, aueo valde ſcire, ſique meæ epiſtolæ exemplar reperiri non poteſt, nouum meditabor. Salue mi Mœcenas, lux inclyta Italiæ Redi, ac me tuo vt ſoles patrocinio libens tuere. Vale.

Piſis decimoquarto calendas ſextilis 1667.

Erudito & preſtanti Iuveni
IOSAPHATO ADRIANIO.

Lucam.

Litteræ tuæ, &ſi eas aliquanto tardius, quàm volebam, ad me miſiſti, tamen mirificè placuerunt, eo in primis titulo, quòd in iis facili te, atque accommodato ad capeſſendas humaniores diſciplinas ingenio eſſe perſpiciam; tum quoquè quòd tua tibi diligentia conſtiterit. Clariſſimo Roſſio quamprimum quammaximas gratias habebo. Nihil iſto Hymno emendatius, aut caſtigatius excudi potuit; nullum mendum in toto exemplari reperi. Triginta exempla-

plaria iſthic Roſſio, vt is ſuo arbitratu vtatur, ſeruentur. De re nummaria Paciis perſoluenda egi cum tuo fratre, quem tu, ſi ſapies, tam propinquo tibi, ac arcto ſanguine coniunctum in omnibus rebus, at preſertim in virtute, & eximia doctrina, qua is iam multis hominibus litteratis pręſtat, imitandum propones, nulliſque tibi laboribus parcendum eſſe exiſtimabis, niſi eò, quò iã ille fœliciſſimè peruenit, tu quoquè ſeu propria tua indole, ſeu illius exemplo excitatus peruenias; quod te & libenter, & alacriter facturum eſſe confido; nam illa aſpera, & ingrata magis tyrocinia litterarum omnino ſuperaſti; iamque ipſa tantùm amœnitas, atque iucunditas in ipſo cultu doctrinæ, ac elegantiæ quærenda ſupereſt. Huic tu rei toto animo, totoque conatu quantum valetudo tua permittit, ſi fratrem, ſi te ipſum, ſi ipſos denique familiares tuos, ac domeſticos reſpicis, diligentiſſimè incumbes. Me verò ſtudioſiſſimum tui amabis. Dic meo nomine parentibus tuis, ac Corneliæ ſorori ſalutem. Vale.

Piſis nono calendas ſextilis 1667.

Illu-

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FRANCISCO MARCHIONI COPPOLI
Magni Ducis Hetruriæ Cubiculi Præfecto.

Florentiam.

INcredibile dictu eſt, Vir Ampliſſime, quãta me tuæ litteræ voluptate perfuderint; ſit fœlix, & fauſtum; vide vt augurali voe Romanorum præ lętitia vtar; tuæ vero Amplitudini huius tam excelſi honoris primitias, quibus Sanctiſſimus Præſes ter rarum Clemens Nonus filium tuum Abbatem Alexandrum, ſummæ ac maximæ ſpei Iuuenẽ, ſuo ſapientiſſimo conſilio honeſtandum putauit, ita gratulor, vt nihil in omni vita poſſim libentius gratulari; Speroque Superis bene iuuantibus fore, vt a tam ſublimi initio adeundi honores via certiſſima iam ſtrata ſit, qua aliquando Sacro Purpuratorum Ordini inſertus tuas omnino ſpes aut ęquet, aut ſuperet. Quæ miſiſti de perluſtrata a filio tuo Marchione Europa, accepimus; Panegyricũ &ſi ante animosè profequeremur, nunc tamen multo alacrius iſti curæ incumbimus. Iam ad centum verſus molitio mea excreuit; primo quoquè tempore ipſa manuſcripta ad te mittam, vt tuę Amplitudinis iudicio confirmatus ſecurius conficiendo Poematio inſiſtam. Vercaſſonius homo Gallus Sereniſſimis Principibus iſthic notus, hodie matutinis horis me rogatũ acceſsit. (ſcis frontis meæ imbecillitatem, quæ neſcit amicorum precibus refragari, & ſi ſubinde

no-

nolim maximis viris onerofus haberi) vt tibi à me feriò commendaretur. Vacauit hìc tenue Sacerdotium, velletque tua ope fieri, ut à Sereniſſima Magna Duce iuberetur aliqua epiſtola, in fauorem ſui filij ad Cardinalem Ilcium exarari. Adoleſcens eſt ingenua indole, & probis moribus, neque linguę latinæ rudis, fuitque ad fontem luſtrale m Principis Coſmi nomine ſuſceptus, ac inſignitus. Si id poterit a tua Amplitudine cōfici, hoc certè beneficio patrem, & me vnà perpetuò tibi deuincies. Mitto Auguſtis Principibus, Magno in primis Duci, Principi Coſmo, ac Leopoldo Hymni Saleſiani, ſuum cuique exemplar; vnum Amplitudini tuæ; me verò ſummo, ac maximo honore cumulabis, ſi ea placuerit meo nomine optimis Principibus cum ſumma gratiarū actione ob annui ſtipendij gratiam exhibere. Filio tuo Abbati Alexandro, ſeu iam Romæ eſt, ſeu Florentiæ, quamprimum gratulandi officia perſoluam. Properata hominis profectione factum eſt, vt hęc ipſa parum eleganter, aut decorè potuerim exarare. Tibi à ſummo Numine longam vitæ incolumitatem voueo. Vale.

Piſis calendis ſextilis 1667.

Finis ſecundi Libri epiſtolarum.

Illuſtriſs. ac Excellentiſs. Viro D.D.
MARCHIONI PLANESIO.

Auguſtam Taurinorum.

QVòd me audeam ignotum hominem tuæ vltro Amplitudini offerre, id neque audaciæ, neque vlli meæ confidentiæ, ſed tuæ vnius eximiæ, ac ſingulari humanitati, qua iam pridem cęteris mortalibus pręſtas, imputari debet. Virtus enim, vbi sūma eſt, &ſi quadam animi moderatione, & ſui pretio contenta magis latere ambiat, quàm in ora hominum differri, neſcit tamen Patriæ limitibus contineri. Hanc primùm admiratio hominum ſuſpicere, colere, & amare incipit: tum fama, quæ ex publico amore naſcitur, vel inuitam per finitimas regiones, & omnem latè orbem celebrandam ſuſcipit. Hinc facile fuit me aduenam & in tuæ Amplitudinis cognitionē, & in ea deſideria adduci, quibus cum omni demiſſione meum tibi amorem cum ingenua obſeruantia, & perpetua tui colendi voluntate coniunctum teſtarer, vnàque precibus meis id vnum a tua ſumma humanitate flagitarem, vt meo in primis nomine (cùm humilitas mea non permittat, vt ego priuatus priuato obſequio litterarum tam magnum Principem appellem) alterum Hymni Saleſiani exemplar digneris Regiæ Celſitudini Caroli Emanuelis exhibere, mihique

cle-

clementiſſimi, ac munificentiſſimi Principis gratiam conciliare; alterum verò exemplar tibi ipſi in primi mei obſequij, primique cultus, ſeu pignus, ſeu monumentum accipere. Si id verò pro tua optima in bonos omnes beneuolentia præſtiteris, vt tuo deinceps vti patrocinio, tuiſque poſſim clientibus, & ſi vltimis immiſceri, vota mea omnia expleſti. Id nunc ſupereſt, vt a Summo Numine precibus meis quamhumillimè flagitem, vt Sereniſſimo Duci quamlongiſſima regnandi fœlicitas, tuæ vero Amplitudini omnia proſpera & ſecunda cum longa vitæ incolumitate obtingant. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Septembris 1667.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO LEGATO.

Bononiam.

Litteris tuis, clariſſime Laurenti, nihil ſuauius, nihil iucundius mihi vnquam memini accidiſſe; nimio tamen ſeu humanitatis, ſeu tui ergà me amoris exceſſu peccas, qui me laudibus tuis, cùm eas ſuſtinere non poſſim, planè oneras; tuum nihilominus affectum toto penitus animo complector, velimque meo id poſſe ſtudio aſſequi, vt eo aliquando peruenirem, quo me tu perueniſſe exiſtimas. Hymni Saleſiani exemplar vnà cum icone vtcumque ad ſimi-

ſimilitudinem mei delineata hìc habes. Boni Superi, quòd ego à te munus, vt ipſa fert inſcriptio, planè aureum accepi! tale olim potuit vel in ipſa Attica à Callimacho, aut Philete cani. Vbique ſua puritas, & amabilis elegantia in numeris animosè ſpirat. Ipſam herclè naturam argumenti, quæ ſanè operosa & difficilis tractari, mira fœlicitate ingenij ſuperaſti; decus vbique & vigorem, quo perpetua ſe ſuſtineat venuſtas, addidiſti, adeo vt legi, & relegi centies ſinè vlla ſatietate legendi poſſit. Quid nunc de multiplice eruditione, quid de ipſa ſerie ram lepidè & argutè contexta dicam? noua ſemper imago, quæ curiosè inuitet ad proſequendæ lectionis amorem, apparet. ClariſſimoViro Ouidio Montalbano, quem in paucis habeo chariſſimum, uenerationis officia meis quoq; litteris teſtari uolui; amaui enim olim, & nunc amo hominem non iſtius modò Academiæ, ſed egregium totius Italię decus. Tuæ uerò ſingulari humanitati, qua me, aut mea tuis uicturis apud omnem poſteritatem operibus inſerere ſtatuiſti, gratias ſummas & maximas ago; atq; utinam eas poſſim aliquando referre. Has mitto cum hominibus Belgis: altero aut altero uerbo reſcribe quęſo ſi ad te cũ Hymno Saleſiano peruenerint, & me tui ſeriò amantem ama. Vale.

Piſis pridie calendas Septembris 1667.

Cla-

Clariſſimo Viro
OVIDIO MONTALBANO.

Boneniam.

DIci non poteſt, Vir Clariſſime, quanta cum animi uoluptate in Laurentii Legati epiſtola eam partem legerim, qua & nominis mei memoriam apud te vigere, & me etiam amari intellexi. Quid ego tibi tanto uiro, multiplicis doctrinæ & eruditionis nomine hac tota Italia celebratiſſimo reponam? meum in primis amorem, tum me ipſum cum perpetua tui obſeruantia, cultuque meo ſingulari addico. O ſi darêtur aliquando in magna iſta Vrbe magnæ iſtius Academiæ uiros iterum uidere, ac uenerari! quàm tu mihi clariſſimè Montalbane ſis amplexu meo non ſinè uenerationis gaudio conſtringendus! amaui te te olim unicè, & tuæ eximiæ humanitatis teſtis fui, qua tu ſolebas homines tranſalpinos amantiſſimè complecti, ſeu illi Roma, Venetiis, aut Pataulo ſua ad te uenerandi obſequia deferrent. Nunc uerò uideo te recta ad æternitatem uia incedere, & quotidie præclariſſima monumenta, quæ omnis poſteritas cum perpetua tui nominis gloria lectura ſit, moliri. Quidni me fæliciſſimum arbitrer, quòd me tuo dignum amore & ſi immerentem putaueris? Ego hic in pignus candidi amoris, meæque obſeruantiæ teſtimonium Poematia mea cũ Hymno Saleſiano mitto, meque in his totum tibi, tuæque

iam

iam partę gloriæ deditiſſimum habe. Salue mi Montalbane, magnæ Italiæ magnum decus, ac Neſtora ipſum vita incolume vince. Vale.

Piſis pridie calendas Septembris 1667.

COLLEGIO BRVXELLENSI BONONIÆ.

Bononiam.

PErilluſtres, ac ornatiſſimi Domini Bruxellenſes. Gratias vobis in primis habeo ſummas, quòd veſtra opera meus nuper faſciculus libellorum in manus clariſſimi viri Laurentij Legati peruenerit; cupioque occaſionem dari, vt eas vobis poſſim aliquando rependere. Nunc verò vos iterum rogatos velim, vt hos homines Belgas Eburones libenter & amanter videatis. Quędam mea ad Ouidium Montalbanum, & Laurentium Legatum deferunt; Ædes obſecro Ouidij Mõtalbani conmonſtrate. Tum id quoque vos etiam atque etiam ardentiſſimè oro, vt his Iuuenibus ab omni prorſus proficiſcendi viatico deſtitutis, veſtra ope ac auxilio ſuccurratis. Poterit fortaſſe Natio Germanica æs aliquod pium elargiri. Ego eorum calamitatem in hoc tractu Italiæ longè ab Eburonibus remoto miſeratus, vt rerum mearum tenuitas tulit, tenui viatico proſecutus fui; id idem ſi a vobis fiet, veſtra olim pietas ſua apud Deum mercede non carebit,

Ne

Ne verò ad vos inanis accedam, ſtatui Hymni Saleſiani exemplar in mei pignus amoris iſthuc ſubmittere; id libentes a me vobis deditiſſimo accipite. Saluete perilluſtres Domini, & nomen Belgicum veſtra olim virtute attollite. Valete.

Piſis pridie calendas Septembris 1667.

Clariſſimo, ac Praſtantiſſimo Viro
IACOBO ROSSIO.

Lucam.

OPtaueram aliquanto citius, clariſſime Iacobe Roſſi, quas debui tuæ humanitati gratias perſoluere; ſed hæc mea vota aduerſa nuper valetudo interrupit; qua nunc depulſa nihil mihi antiquius fuit, quã nunc tibi ex toto animo ſummas ac maximas gratias habere, quòd curandæ impreſſionis laborem humaniſſimè ſuſceperis, tum ea cura ac diligentia ſis vſus, vt ne vlla quidem ſimulacra litterarum vitiosè ſint expreſſa. Quæ res quàm ardua ac difficilis ſit, ego iam olim fui non ſinè multo tædio expertus, neque mihi vnquam obtigit, etſi me totum illi curę impenderem, vt emẽdata omnino exemplaria ederentur. Quapropter ſi qua vnquam detur occaſio, magis tibi velim gratias referre, quàm habere. Sed heus tu chariſſime amicorum, tam cultis ac elegantibus litteris tuis munditiem, aut ve-

nuſtatis laudem abeſſe exiſtimes? Muſę omnes reclamant, quæ te iam o'im ſibi in huius æui decus, & certam apud poſteros gloriam fouendum ſuſcepère. Etiam extemporanea tua eloquia cùm Romana veterum facundia certent, neque potes, & ſi velis, ſinè cultu elegantiarum loqui, aut ſcribere. Pergis prætereà amorem quoquè tuum ſingularem exprimere. Boni Cælites, quàm raro, & ingenuo affectu! Ferreus plane ſim, ni totus redamandi igne accenſus toto te penitus animo complectar, meque indiſſolubili vinculo tibi perpetuò obſtringam. Flagremus mi Roſſi hac caſta viciſſitudine amandi, & me tuæ laudi, ac eximiæ virtuti planè deditum, quo ſoles amore ac beneuolentia complectère. Vale.

Piſis calendis Septembris 1667.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domino
D. *ALEXANDRO ABBATI COPPOLI*
D. N. Papa Clementis IX. Cubiculari honorario.

Florentiam.

Nihil in omni ante acta vita tâ mihi gratum ac iucundum memini obtigiſſe, quàm hic ſit honos, ſublimis ſanè & excelſus, haud immeritò, Illuſtriſſime Alexander, præſtanti tuæ indoli, ac præclariſſimæ

vir-

mæ virtuti delatus. ſed à quo? à Sanctiſſima, quæ in terris ſit, Maieſtate; ipſo inquam Maximo, atque Optimo generis humani Cuſtode Clemente Nono. Gratulor itaqueè toto penitus animo hunc Amplitudini tuæ honorem ingentem herclè, ac præclarum, quem tibi gradum eſſe certiſſimum, quo deinceps ad altiora aſcendas, nemo neget, qui raras animi tui dotes, ipſam in primis humaniſſimam indolem cum ſumma moderatione, tũ mira comitatis laude exornatam paulò vicinius intro ſpexerit. Ego certè diu antea præuidi fore, vt creſcenti æuo ad omnia ſumma, quò iam tacitè tua te virtus vocabat, non ſinè tuę laudis incremento progrederere; quin mihi ipſi quoq; in tuo iſto honore quodammodo gratulandum putaui, quòd videam mihi viam aperiri, qua ſub Amplitudinis tuæ patrocinio hæc ipſa ſtudia humanitatis multo ſanè animoſius poſſim perſequi; meique in te cultus memoriam aliquo publico grati animi monumento teſtari. Excuſa, obſecro, ſi hæc officia gratulandi multo ſerius, atque debui, perſoluam; ab vltimis enim litteris, quibus ampliſſimo Parenti tuo Marchioni Frãciſco mea obſequia detuli, aduerſa valetudo me ita detinuit, vt nihil ſcripto exarare, aut animo moliri potuerim. Commentarios ſuſcepti in Hiſpaniam itineris accepi; neque licuit in Marchionis Camilli Panegyrico progredi; hos tamen centum verſus, vt iam ante promiſi, ampliſſimo tuo Patri mit-

 to,

-to, vt illius iudicio fretus pertexendo Poematio alacrior incũbam. Deus te incolumẽ Aulæ Romanæ, & Summo Pontifici conſeruet, donecque ea vota, quæ de tua virtute, ac præſtantiſſima laude Hetruria concepit rata eſſe. Vale.

Piſis pridie nonas Septembris 1667.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN.

Florentiam.

QVòd exemplaria Saleſiana in Proceres, & præſtante doctrina viros diſtribueris, rem mihi multo gratiſſimam feciſti. Iucũdum quoquè fuit audire Patriam meam incolumem ab omni militari inſolentia Gallorum remanſiſſe; eam rem publici etiam nuntij confirmant, quibus effuſo in hoſtes amne Tenara pleraque millia Gallorum perijſſe accepimus; Vrbem Tenaramondam obſidione liberam, primam Belgicarum Vrbium hanc Gallis victoriam extorſiſſe. Annuat ſummus ille exercituum arbiter Deus, vt ambo iſti potentiſſimi Reges indiſſolubili pacis vinculo conſtricti omne ſuum robur militare coniunctis opibus ad delendam Mahometanam tyrannidem conuertant. Scripſi ad te nuper cum duobus Belgis Eburonibus; vidiſti homines? an & Bononiam ſint profecti aueo ſcire, nam litteras iſthuc

huc cum mea icone, ſeu imagine, vt a Laurentio Legato rogabar, ac faſciculo libellorum miſi. Aliquid queſo nuntia. Nudius tertius gratulandi obſequia cum quodam principio manuſcripti Panegyrici in Camillum Marchionem Coppolum ad Alexandrũ Abbatẽ deſtinaui. Vt iſte meus conatus arriſerit, aut a Redio, aut a Forzonio fortaſſe intelliges, de iudicijs Florẽtinis expecto. Hic a pleriſq; ęgris in bonã valetudinem reditur, ſed adhuc ægra ſegnities, & cadauerosa imago incedentium graues reliquias morbi teſtatur. Tu interim me cultiſſimo Redio, ac Forzonio purgandum ſuſcipe, quòd tam diu planè inuitus officio litterarum abſtinuerim, & meam ijs officioſiſſimam ſalutem nuntia. Vale.

Piſis poſtridie nonas Septembris 1667.

Nobili, ac Generoſo Iuueni
RAINERIO ANTONIO LANFRANCHI.

Rus Caſſinum.

Litteras tuas peruenuſtè exaratas cum auicularum munere ab homine agreſti ſexto idus Septembris accepi. Quæ hæc tua humanitas, cultiſſime adoleſcens, qui nullo à me officio prouocatus tam eleganti eloquio tuarum me prior appellare voluiſti? hæc nempe tibi, tuæque clariſſimæ genti generoſa benignitas adnata eſt, qua non

 modò

modò litteratos homines, ſed eos quoquè, qui aliquid in litteris moliri ſtudent, vobis amplectendos vltro, fouendoſque ſuſcipitis. Amplector toto animo tuam egregiam, quam de me habes, voluntatem; tuoque iſti affectui, ſiuè amori, ſim planè durus, ni meum quoquè amorem, operam, ac ſi quæ in me eſt, induſtriam reponam. Exercitandæ ſtudio eloquentiæ aliquod a me dari argumentum poſcis; ad id ipſum, quod tu prudenti conſilio elegiſti, omnium ſanè pulcherrimum, ac optimum videtur. Malè enim in omni humana vita aliquid pręclarum ſinè duce, & auſpice virtute molimur, ac fere in alienas laudes incidimus, dùm ea decora, quę a nobilitate proueniũt, repetitis annalibus geſtorum prædicamus. Sed hæc tibi ſagaciſſima mente, & mira tum ingenij tum iudicij acrimonia prædito ingerere non eſt opus. Me tantùm tuo iſto amore, & eximio affectu complectere, qui te in ipſis oculis ob præſtantis animi dotes & egregiæ doctrinæ laudes geſto. Salue igitur mi Raineri, & auitum Patriæ & familiæ tuæ decus tua virtute renoua. Vale.

Piſis quinto idus Septembris 1667.

Cla-

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN.

Florentiam.

NEque Laurentius Legatus, neque Ouidius Montalbanus aliquid ¡Bononia reſpondère. Valde vereor ne illi homines Eburones fidem perferendi litteras planè abiecerint; quæ res ſi ita eſt, paucis poſthac Eburonibus credam. Gaudeo tamen, tua ſingulari diligentia atq; opera confectum eſſe, vt tandem aliquando Epithalamium ad Cæſarem mitteretur. Si aliquid de eius nomine, qui Cæſari oblaturus eſt, conſtiterit, eum ad id officij præſtandum reuerenti obſequio litterarum incitabo. Nuntius iſte de Gallorum exercitu penitus apud Inſulas Belgarum deleto, de mortuo, aut capto Rege, prorſus euanuit; immo Vrbs ſexto calendas Septembris facta deditione in poteſtatem Chriſtianiſſimi Regis venit. Nunc Ipræ obſidendæ, aut iam potius obſeſſæ dicuntur. Si quæ à Germanis, & Britannis auxilia expectamus, magnis, citiſq; itineribus ad Belgas tendunt, poterit res collapſa non modò erigi, ſed etiam æquata acie cũ Gallis decertari. Alium nuper de Diuo Franciſco de Paula Hymnum edidimus mole multo minorem altero, breui tamen compendio totius vitæ abſolutum; hunc intra paucos dies habebis. Marchio Coppolus commentarios primi itineris à Camillo filio ſuſcepti repetiuit; idque litteris non ad

me, ſed ad hominem mihi ignotum datis. Is prædicabat Marchionem aduerſaria amiſiſſe, ac primo quoquè tempore commentarios remiſſurum. Si ita res habet, nil mali, alioqui nolim liuore quorumdam, aut odio mei, apud integerrimum ampliſſimumque virum appeti. Tibi iſthic facile eſt, ſi quid fraudis, aut doli ſubeſt, in apertum protrahere, & vnà explorare, quid de incępto Panegyrico cenſeatur. Vale.

Piſis nono calendas Octobris 1667.

Clariſſimo Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

NE ego hominis inofficioſi nota dignus ſum! qui tibi integerrimo amicorum ad hoc vſque tempus ſilere potuerim? cùm præſertim ſuprema nocte, quam Sereniſſimi Piſis exegère, mea nequiuerim obſequia deferre. Optabam in primis pro tua in me ſingulari beneuolentia, & ope, quam in gratuiti ſtipendii munus præſtitiſti, gratias tibi ſummas habere, & vna incolume iter cum Auguſtis Principibus augurari; ſed repentina profectio hæc omnia ademit. Debui nihilominus id ipſum multo citius, quã nunc facio, meis litteris teſtari. Qua in re pro vetere noſtra coniunctione, ac neceſſitudine, te etiam atque etiam oro, ut aut

ali-

aliquid inertiæ meæ, aut laboribus, quibus quotidie dies emetimur, concedas. Quòd Epithalamium ad Cæſarem perferendum curaris, tam mihi gratum, quàm quod gratiſſimum feciſti; eoque tibi nomine gratias, quas ſanè debeo, maximas habeo. Nuper Marchioni Planeſio Auguſtam Taurinorum Saleſiani Hymni exemplar miſi, ut is Sereniſſimo Duci Allobrogum exhibeat. Neſcio quid nuper molitus ſim in Diui Franciſci de Paula memoriam; id quoque iam editum intra dies paucos habebis. Si initium Panegyrici, quem Marchioni Camillo meditamur, vidiſti, aut vt dubitare non poſſum viſurus es, fac, obſecro, ut eo, quo lecturus es tempore totus tibi excidam, atque liberrimo vbique calculo utaris, ſiue ut probes, ſiue ut damnes, tum mihi a iudicio tuo, quod iam omnes in Italia litterati plurimi faciunt, fructus multo uberrimus obtinget. Hoc etiam mone, cui in Aula Cęſaris ſcripturus ſim, viri nomen, decus, ac titulos doce. Tum me tui nominis, tuarũque virtutum cultorem eximium quo ſoles amore complectere. Vale.

Piſis octauo calendas Octobris 1667.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro

FRANCISCO REDI.

Florentiam.

CVm de ſummis occupationibus tuis, ac meo in te amore, eaque, quam debeo, ſingulari obſeruantia cogito, cogito autem ſæpiſſimè, variè profectò afficior; velim enim ut amoris mei, obſeruantiæque officia eſſent creberrima; hinc metuo, ſi ea uſurpem frequentius, ne hac ſignificatione officij, cùm de meo preſertim cultu abundè conſtet, medijs tuis curis onerofus obrepā. Vt ut mea iſta cogitatio ſuo ſe utrimque momento tueatur, malui tamen importuni hominis, quam inofficioſi notam ſubire. Ad calendas Auguſti optabam omnino Saleſianum exemplar meis ad te litteris comitari. ſed prępropera hominis Galli diſceſſio hác mihi prorſus facultatem ademit. Conſequentibus diebus me aduerſa valetudo attigit, quam etſi adhibita ope aromataria, & ſecta vena depulerim, tamen infirmitas virium ea manſit, ut non niſi cum ſumma moleſtia aliquid exarare licuiſſet. Habes cauſam longioris, atque ego anteà cupiebam, ſilentij; hanc queſo pro tua in me eximia humanitate agnoſce. Hymnum Diui Saleſij Sereniſſimo Duci Allobrogum, initium Panegyrici Marchioni Coppolo miſi. Non dubito quin primus omnium videbis, atq; vtinam acerrimi iudicij tui calculo abſolui poſſit. Audio quoquè tua, ac Forzonij ope

Epi-

Epitalamium ad Cæſarem iam miſſum; pro qua re immenſas tuæ ſummæ benignitati gratias habeo. Nomij epiſtolam officioſè ac elegantiſſimè exaratam accepi. Alium nuper Hymnum, quo compendioſè Diui Franciſci de Paula memoriam attingimus, iam editum, prima quæ ſe obtulerit opportunitate habebis. Cupio valde ſcire an noua editio Menagiana iſthuc peruenerit; fac obſecro dũ per occupationes tuas licuerit, vt aliquid de editis voluminibus intelligã. Me denique, qui tibi iam tot nominibus deuinctiſſimus viuo, ac me ipſum planè debeo, præſenti tuo patrocinio quo ſoles amanter tuere. Vale.

Piſis quarto calendas Octobris 1667.

Clariſſimo Viro
TILMANNO TRVTVVIN.

Florentiam.

TE omni metu libero; ipſe humaniſſimus Marchio Coppolus litteris ad me datis commentaries pr mi itineris remiſit. Diligentiam quidem tuam ſummopère laudo, ſed mens mea non fuit, vt eam rem ab ipſis Marchionibus Coppolis expiſcarere, ſed ſed aliunde odorari poſſis ſi qua humana malevolentia inuidorum huic meæ ſorti, qua me vident amãtiſſimè ab ipſo Marchione foueri, ac ipſis quodammodo in oculis

geſtari, aduerſaretur. Velim herclè vt ea... nūinquam epiſtola Marchioni Camillo prælecta fuiſſet; vereor enim ne nunc ab ijs vt homo ſuſpicioſus iure merito reprehendar. Spero tamē id factum eiuſmodi ab optimis Patronis exiſtimatum iri, vt ego culpa omnino vacem, cùm omnis iſta ſuſpitio mea ex ſolo emanarit amore, ac integerrimo cultu, quo me mille nominibus obſtrictum Domui Coppolæ perpetuò addixi. Tu interim caue ſuſpicari hæc nunc eò à me ſcribi, quaſi in partem erroris te vocem; id minimè, ſed meipſum accuſo, qui me tibi non planius explicuerim. Tota tua reliqua epiſtola me mirificè oblectaſſet, niſi mœrorem acerbiſſimum dubia Sereniſſimi Principis Matthiæ valetudo obiecisſet. De Rinaldino miror, cùm hic opibus, & amicitia Principum floreret. Terentio principis illius Academiæ honorem meo nomine cum officioſa ſalute gratulare. Secundam centuriā epiſtolarum deſcripſi. Res Belgica periclitatur, ita à Læuina ſorore vltimis litteris accepi. Me ama, & aliquid rerum nouarū, vt ſoles, ſcribe. Vale.

Piſis tertio nonas Octobris 1667.

Il-

Illuſtriſ. ac Excellentiſſ. Viro D.
D. MARCHIONI A SANCTO THOMA, &c.

Auguſtam Taurinorum.

FRetus eximia humanitate, ac conſilio Marchionis Planeſij, qui nunc, vt mihi videor ex litteris eius ad me humaniſſimè datis intelligere, diuino, vti confidimus, inſtinctu ſe vitæ religioſiſſimæ inſtituto addixit, audeo cum iiſdem precibus, ac eadem demiſſione, qua me antea Marchioni Planeſio obtuli, eo certè libentius Amplitudini tuæ offerre, quòd de tua humaniſſima indole, ac ſingulari quadam naturæ bonitate, qua homines probos amantiſſimè foues, ſanè pia, ac integerrima fama non iſthic modo, aut in Gallia, ſed per hunc quoquè Italiæ tractum ſparſa ſit. Itaque cum alacri quadam ſecuritate me Amplitudini tuæ cum intimo venerationis cultu, amore, ac perpetua tui nominis obſeruantia totum ſiſto; atque hanc, obſecro, voluntatem, quæ ex intimo animi candore proficiſcitur, libens agnoſce; tum id quoque me ſinas à tua mirifica humanitate obtinere, vt id exemplar Saleſianum, quod penes Marchionem Planeſium eſt, inquè eam finem ſeruatum, Regiæ Celſitudini Caroli Emanuelis (cùm conditio mea humilior non decorè tam magno Principi litteras exaret) meo digneris nomine exhibere, ac me optimi Principis beneuolentiæ inſinuare. Tuæ verò Amplitudini vt ſit primæ venerationis

meæ pignus, aliud exemplar Saleſianum cū Diui Thomæ Villanouani Hymno, Epithalamio Cæſaris, alioque meo Poematiorum libello m ſ. Iube quæſo includas ad Marchionem Planeſium deferri; librarius enim Marchionis locum, vnde data eſt epiſtola, non expreſſit, vt neque diem, quo ſcripta eſt. Ego autem mihi fœliciſſimus videbor, ſi & Amplitudinis tuæ patrocinio frui, & aliquo inter clientes loco haberi meruerim. Tum id a Chriſto Optimo Maximo conceptis precibus efflagito, vt Regiæ Celſitudini Caroli Emanuelis quamdiutiſſimè quamfœliciſſimè regnare contingat; tibi omnia fauſta cum incolumitate vitæ lōgiſſima ſuccedant. Vale.

Piſis quinto idus Octobris 1667.

Illuſtriſſimo, ac Excellentiſſimo D.
D. MARCHIONI PLANESIO.

Auguſtam Taurinorum.

QVòd me humaniſſimis litteris, omni officio, & optima in me propenſione cumulatis, & tuo quoquè conſilio honeſtādum putaſti, gratias Amplitudini tuæ ſummas ago; cùmque eas referre non poſſim, me, apud Deum precibus id penſabo, vt tibi Vir Ampliſſime in iſto tuo cōſilio prudentiſſimè, ſanctiſſimèque ſuſcepto, & iam vitæ ſecurioris, tranquillitati diuinitùs addi-

cto

cto ea omnia eueniant,quibus Altiſſimi honorem tuo in primis tam illuſtri exemplo propagare, & tua poſſis ope quamdiutiſſimè rebus humanis prodeſſe. Scripſi Marchioni à Sancto Thoma, vt is dignetur id Hymni Saleſiani exemplar, quod tuæ Amplitudini nuper miſi, Regiæ Celſitudini Caroli Emanuelis exhibere. Ipſi quoquè ſuũ exemplar cum alijs meis Poematijs mittendum putaui. Te verò etiam atque etiam quamvehementiſſimè oro, vt ſi id vel inito ſermone,vel alia ope commodè fieri poteſt, me ſeriò Marchionis à Sancto Thoma humanitati commendes. Alia quædam Poematia mea, quæ fere omnia ad res Diuinas pertineant, vbi amicorum hominum iſthuc è Collegio Puteano commeantium occaſio erit, Amplitudini tuæ in mei amoris, obſeruantiæque teſtimonium mittam; nunc Summum Numen quotidie oro, vt tibi in iſta religioſa ſolitudine cæleſtis plenitudo gratiæ ſemper obtingat. Vale.

Piſis quinto idus Octobris 1667.

Clariſſimo Viro

LVCÆ TERENTIO

Medicen in Academia Piſana profitenti

Florentiam.

CVm litteras ad Pyladem damus, Oreſti ſil ebimus? id veſtra neceſsitudo pari

præſtantiſſimæ doctrinæ nexu coniuncta non patitur; mea quoquè ſingularis obſeruantia, qua te iam a multis annis diligentiſſimè colo, proferre vlterius ſilentium non ſiuit; præcipuè cùm & veteribus multis officijs, & nunc recenti beneficio tibi plurimum ſim deuinctus; quòd enim Epitalamij ad Cæſarem mittendi occaſionem ſim nactus, tuo id conſilio, ac opera euenit; quare hoc nomine tibi grates multo maximas ago; Non poſſum verò ſatis viros iſtos clariſſimos & ſumma nobilitate, & omni diſciplinarum cultu præſtantes celebrare, qui te inito ſapientiſſimè conſilio in cœtus ſui præclariſſimi ordinem cooptandum cenſuerunt; atque hunc honorem, quòd is cum pauciſſimis tantùm, iiſque aut clariſſimo ſanguine procreatis, aut ſingularis doctrinæ laude florentibus communicari ſolet, tibi in primis glorioſum gratulor, & per te ipſi quoquè Hetruſco ſermoni gratulandum cenſeo, qui iam Poematum tuorum nobilitate, ac caſta munditie plurimum illuſtratus, tua deinceps opera multo illuſtrior, atque omni linguarum laude maior euaſurus ſit. Collegæ tuo Clariſſimo Moniglæ me seriò commendandum ſuſcipe, vt illius ope tandem aliquando verſus iſti nuptiales ad Cæſarem perueniant. Te pluribus in præſentia occupare abſtineo; ſi enim ij nuntij, qui de Germanico itinere Sereniſſimi Coſmi vt veriſſimi feruntur, ita ſe habent, totus eris cum humaniſſimo tuo Collega, vt tam arctę fides ami-

amicitiæ exigit, ineundis ſermonibus, augurando itineri, & mille alijs, quæ amor dictat, officiis occupatus. Salue magnum ac primarium huius Academiæ Piſanæ lumen. Vale.

Piſis decimo quinto calendas Nouēbris 1667

Clariſſimo Viro

BASILIO RIGHI

Priori Chartuſiæ Vallis Gratioſæ propè Piſas.

Chartuſiam Vallis Gratioſæ.

NVlla vnquam munera ſero perferuntur; ea præſertim, quę ad gratuiti doni authorem ſinè vllo accipientis merito pertinere cognoſcimus; non enim meritis meis, cùm ab omnibus nudus ſim, ampliſſimus Pegonius, aut magnus ille comitiorum Cętus moueri potuit, ſed ſua quadam ſponte cum optimorum Patrum aſſenſu voluit meā tenuitatem hoc ſancto & pretioſo munere excitare, ut id, quod nondum merui, poſſim hoc quaſi dono illectus aliquando meruiſſe. Ad proxima comitia ipſi ſanè optimo ac integerrimo Pegonio cum ſumma gratiarum actione litteras dabo. Ipſam membranam ſigillo magnæ Carthuſiæ munitam tot donis, ac futuris animæ meæ ſubſidijs locupletatam, vnā cum aureo Pontificiæ imaginis numiſmate diligētiſſimè aſſeruo; ac tibi, qui hæc omnia ſtudioſiſſimè curaſti

raſti nouas iterum,humaniſſime Baſili,eaſq; ſummas gratias ago; neque iſtius beneficii magnitudo unquam animo meo excidet; ſed grata ſemper recordatione, dum quantum tibi, totique Religioni Carthuſianę debeo mecum cogito, eius rei memoriam retinebo. Quæ volebas à me fieri, non vt debui, cùm id viriū mearum tenuitas prohiberet, ſed ut potui,confeci. Tu interim qua me ſoles beneuolentia complectere, meique apud Aram vt memineris te ſummis precibus etiam atq; etiam rogo. Vale.

Piſis decimoquinto calendas Nouēbris 1667.

Eminentiſſimo Principi
FLAVIO CARDINALI CHISIO
SS. nuper D.N. Alexandri VII. ex fratre Nepoti.

Romam.

CVm ſcirem,Princeps Chiſi, id meam in primis humilitatem fortunæ decere, ut non niſi idoneo tempore ac loco tuæ sūmæ Amplitudini ſcribam; ideo cùm genus humanum amiſſo Sanctiſſimo Præſide Patruo tuo immortalis memoriæ Alexandro VII. Pontifice Optimo Maximo in publico mœrore verſaretur, & inſolabiliter quam fecit iacturam in caſtiſſimo ac integerrimo Euangelicæ legis cuſtode defleret, ac luctū communem priuatis quiſque lachrymis augeret, dum undique Viri Principes,ad quos

idem

idem dolor pertineret, certatim ad te non tam ſolaturi, quàm conſolandi ipſi, ſua officia mærendi deferrent, aut id elegantiſſimo mœrore litterarum teſtarentur, meis tunc priuatis lacrymis non auſus ſui recentes tuos luctus interpellare. Nunc verò facta per hos natalitios dies ſcribendi poteſtate, priuatum, quem toto animo concepi, mœrorem, ac iam data libertate lacrymis erumpentem hoc mæſtæ ſcriptionis officio tibi optime ac integerrime Princeps, ex intimis meis ſenſibus teſtor. At hæc fati communis neceſſitas ex Diuino decreto toti humanitati, & omni coronato capiti impendet, dura quidem & aſpera, ſi affectus noſtros reſpicimus, grata tamen ac optabilis, ſi nos poſitis exuuijs mortalibus ad fœliciſſimæ vitæ æternitatem in cæleſti domicilio renaſci contemplemur. Sed quò mæſtitia ſtyli abducor? Tua, Princeps Chiſi, eximia ſapientia ea omnia nouit, quæ leniendo dolori aptiſſima ſint remedia, & tua ſingularis conſtantia ſcit hos caſus mortales æquiſſima animi quiete perferre. At heu duplex iterum acerbiſſimus caſus! Princeps Marius chariſſimus Pater, Princeps Berenice dilectiſſima Parens, ſeu ad Numen, cuius vicariam maieſtatem Frater in terris geſſit, anhelarent, ex hoc rerum humanarum ſplendore ad noua apud Superos gaudia, perenni, vt omnino confidimus, fruituri fœlicitate deceſſerunt. Dolorem hìc quoquè ſuum, cùm tã arcti ſanguinis vinculum diſſoluitur, huma-

ni-

nitas experitur. Sed tuus iamdiu animùs conſtantiæ, ac ſapientiæ præceptis munitus forti omnia moderatione ſuſtentat, ac vincit. De tua verò, Princeps Chiſi, recuperata in priſtinum vigorem valetudine toto ex animo ita tibi gratulor, vt nihil vnquam magis, ac lubentius gratulari poſſim. Præterea Sanctiſſimo Patruo in Chriſti Optimi Maximi Vicariam poteſtatem is ſucceſſit, quem ipſe Alexander, cùm ad Orbis Chriſtiani imperium aptiſſimum videret, vnà tecum Romana Purpura inſigniuit, & inter chariſſimos è Sacro Senatu chariſſimũ habuit. Quare & hoc tibi nomine iterum, atque iterum gratulandum putaui, cũ Apex Apoſtolicæ Maieſtatis in Principem Chiſiæ Genti deditiſſimum inciderit. Me verò nunc tanto patrocinio Sanctiſſimi tui Patrui deiectum te optime Princeps quã humillimè, quamardentiſſimè oro, vt pro tua ſumma, ac clementiſſima humanitate non quidem meritis meis, quæ nulla ſunt, ſed quòd olim Sanctiſſimus Princeps Alexander me ſuos inter clientes admiſit, & aureo ſuæ imaginis Numiſmate honeſtauit, digneris tuo propius patrocinio complecti. Ego interim precibus aſſiduis Numen obteſtor, vt tibi omnia proſpera cum longa incolumitate vitæ ſemper eueniant; hiquè Sacratiſſimi dies cum nouo exoriente anno fortunatiſſimi vſque ac vſque recurrant. Hymnum Saleſianum, quem vt Sanctiſſimo Patruo Alexandro Septimo gratificarer, emolitus

fui

ſui tuæ ſummæ Amplitudini hìc dono mittimus. Vale.

Piſis poſtridie idus Decembris 1667.

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D.D.
SCIPIONI CARDINALI ILCIO.

Romam.

DOlor, quem penè omnis Hetruria in obitu ampliſſimi Marchionis Ilcij Fratris tui germani ſenſit, etiam aduenas, ac peregrinos homines attingit, qui cum Virũ prçter ſummos natales, & omnes heroici animi præſtantiſſimas dotes, inſigni Chriſtianæ pietatis exemplo omnibus præluxiſſe, ac propterea ab omnibus amari, & quod omnium inſtar laudum ſit, tui ſimillimum audirent, communem hunc luctum quaſi proprium ſibi priuatis quiſq; lacrymis vindicarunt. Inter quos, Eminentiſſime Ilci, ego quoq; priuato dolore perculſus hìc ſacræ Amplitudini tuæ mçrentis animi officia perſoluo. Tuæ ſummæ ſapientiæ ad mitigandum dolorem a nemine melius, quàm a te ipſo ſuppeditari poſſunt ſolatia; idque tuæ conſtantiæ robur eſt, vt quamquam in chariſſimorum deceſſu ipſe ſanguis tacitè ad luctum clam ipſo oboriente mærore extimulet, vincas tamen naturæ impetum, & quæ humana ſunt tamquam æterno decreto ſancita æquabili tenore animi immotus non mi-

minus fortiter quàm placidè feras. Qui nunc imminent ortu Numinis conſecrati dies, eos ſacræ Amplitudini tuæ cum nouo, qui exoritur anno, fœliciſſimos opto; voueoque vt hos alij deinceps multo plurimi, ac plurimi conſequantur. Hymni Saleſiani exemplar in perpetui mei cultus, amoriſq; pignus iſthuc mitto; hìc Deum prò tua longiſſima incolumitate precari non ceſſo. Vale.

Piſis poſtridie idus Decembres 1667.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

SVmmum mœrorem, quem Sanctiſſimi Principis Alexandri VII. glorioſæ memoriç Pontificis Optimi Maximi obitu cótraxi, non ante tibi, vt quidem optaram, Illuſtriſime Gradi, cui ſcio hunc caſum multo acerbiſſimum obtigiſſe, mœſto officio litterarum teſtatus fui, quòd occupationibus tuis in iſto recenti luctu intempeſtiuo obſequio moleſtus eſſe timerem. Audiui enim ab Archiepiſcopo Ilcio cultiſſima oratione funebri, ac elegantiſſimo luctu Sanctiſſimi Alexandri Manibus a te parentatum fuiſſe, ac tuum iſtud diſertæ pietatis officium omnes Purpuratos, alioſque Proceres ſumma cum laude excepiſſe. Quare, ſi

id

id in luctu concedi tur, hōc tibi nomine vehementer gratul or. At illud herclè ex toto animo ſummum Chriſtiani Orbis imperium illi Principi delatum, quem & ipſe Alexander vnicè amauit & quaſi in Apoſtolico Principatu ſucceſſurum diuinitùs noſſet,ſibi olim in iſta ardua rerum mole omnium ſemper curarum participem propius adiunxit. Neque dubito quin nunc eadem tibi ſeu gratia, ſeu authoritas apud Clementem Nonum futura ſit, quæ ante apud Sanctiſſimum Pontificem Alexandrum fuit; quod ex intimo ſenſu opto,& ita eſſe confido. Superioris anni exemplaria, & litteras, quæ tunc ob valetudinem Summi Principis commodè alijs dari nequierunt, eas nūc quęſo, ne videar defuiſſe officio, vnà cum his litteris & Hymno Saleſiano,meó digneris nomine Eminentiſſimis Ch'ſio, Ilcioqne Cardinalibus exhibere. Suas hinc Cæſari Cardinali Raſpono Vrbinum mittam. Incluſi aliquos verſiculos de Sanctiſſimo Pontifice Clemente Nono, cuius maieſtatem, cùm fortaſſe ignotus ſim,auſus non fui hoc natalitio officio litterarum venerari; vtinam tua rurſus ope poſſim huic optimo, ac Sanctiſſimo Principi innoteſcere. Omnes vno ore ſimillimum Alexandro prædicant, litteris, earumque cultoribus impensè patrocinari. Hos ſanctiſs. dies feſtos, atq; annum ad noua ſe initia conuertentem tibi multo fauſtiſſimum ad longe plurima annorum inſequētium ſpatia à Deo omnis qui & incolumitatis

tis

tatis largitore & opto & voueo. Vale.

Piſis poſtridie idus Decembris 1667.

Eminentiſſ. ac Reuerendiſſ. D.
D. CÆSARI CARDINALI RASPONO
Ducatus Vrbini a Latere Legato.

Vrbinum.

MVltis de cauſis, Eminentiſſime Cæſar, grauiſſimas tuas curas ſcripto interpellare timui. Primùm quòd publicus mœror in funere Sanctiſſimi Pontificis Alexandri Septimi toti Reipublicæ Chriſtianæ obortus eſſet, & tu ipſe hunc caſum, cùm vnicè Sanctiſſimum Principem amares, ſũmo dolore, qua partè tenero naturæ impetu in luctum propendemus, ferres. Poſt ipſa Comitia, cũ nouo generis humani cuſtodi deligendo haberentur, ac ipſa Sanctiſſimi D.N. Clementis Noni inaugurandi ſolemnitas celebraretur, ac etiam Orbis terræ cõſilio cum Purpuratis Collegis perſæpè vacares, fortuna mea humilior non permiſit, vt ego tunc temporis auderem aliquo intempeſtiuè ſcribendi officio defungi. Quarè data per hos dies feſtos ad id obſequij libertate, ſacræ in primis Amplitudini tuæ, quam nuper Sãctiſs. memoriç Alexãder Septimus, ac Clemens Nonus confirmauit, Ducatus Vrbini Legationem multo ampliſſimam, ex imis animi mei ſenſibus gratulor, & ipſa

quo-

quoquè cum Prouincia de ſua fœlicitate gaudeo, qua iam illa te iſthic rerum Præſide fruitur, ac deinceps tuo ſingulari cõſilio, ac paterno affectu fruitura eſt. Anno ſuperiore ſub hoc idem tempus litteras meas cũ Hymno Diui Brunonis officij cauſa ad te Romam miſi, ſed neſcio an poſt obitum Sanctiſſimi Principis Alexandri eas Abbas Gradius dederit; ſeruabat enim prudenti conſilio ob Summi Pontificis valetudinem, atque id nunc eo appoſui, vt vel minimam inofficioſi hominis notam a me procul auertam. Luſimus etiam nũc aliquid in Diui Saleſij memoriam; id qualecumque eſt in mei amoris, eximiique cultus fidem, pro tua indole generoſa, & egregia in in bonos omnes propenſione, hilari ac libenti animo admitte, & meæ tenuitatem fortunæ excuſa, quòd exemplar ſic diſſolutum nulla vinctum membrana, aut cultu perpolitum efferatur. Hos porro dies feſtos, atque annum ad noua exordia conuerſum ſacræ Amplitudini tuæ cum multiplice conſequentium annorum ſerie fortunatiſſimum opto, Summumque Numen precibus meis oro, vt tibi omnia ſemper proſpera cum æuo incolumi ac longiſſimo ſuccedant. Vale.

Piſis decimo ſexto calendas Ianuarias 1667.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.
D. THOMÆ SALVIATO
Epiſcopo Aretino, & Principi.

Aretium.

QVanta me lætitia, & interiori gaudio tuæ litteræ, Illuſtriſſime Antiſtes Saluiate, perfuderint, mea quidem cogitatione id ſentio, ſed verbis exprimere vix poſſim. Boni Cælites, quantum amoré tenui obſequio reponis? at cui? immerenti, & qui hoc ſolum pio deſiderio ſtimulatus ambirem, vt tibi ore totius Italiæ ob multiplices ſanctioris animi dotes celebrato, & propiùs poſſim innoteſcere, & vel vltimis inſeri clientibus, quos ſoles ſancto tuo patrocinio amanter complecti. Spes meas omnes tua ſancta benignitas ſuperauit; plus enim obtinui, quàm meis antea votis optare ſim auſus. Vbique propenſionis tuæ, ac paterni in me affectus ſignificatio, cum graui & cultiſſimo elegantiæ candore apparet. Certè cùm manibus tuis venerationis meæ oſculum abſens imprimere non potui, id multoties tuis iſtis litteris cum tenerrimo tui colendi affectu impreſſi. Dulce poſthac erit & laboris & vigiliarum, quas celebrandis Cælitibus pro mea tenuitate impédi, meminiſſe, cùm is inde mihi fructus vberrimus, tuus in me amor, tua propenſio, & tantopere a me optati patrocinii gratia obtigerit. Gratias Illuſtriſſimæ Amplitudini tuæ multo citius habuiſſem, & id vnum

erat

erat in votis; Sed cùm ſcirem quæ te quotidie grauia ac ſeria negotia circumſtarent, non auſus apud te fui intempeſtiuè iſto obſequio defungi; quapropter hoc idoneum officio tempus expectaui, quo nunc eas ex toto penitus animo perſoluo; meque iterũ cum omni cultu, amore, ac obſeruantia totum Amplitudini tuæ dedo; & hos duorũ Cælitum Hymnos mitto, tuiſque ſanctiſſimis precibus me quamhumillimè commendo. Tum hos Sanctiſſimos dies Natalitios, cum nouo, quem ingredimur, anno tibi fęliciſſimos opto, ac Chriſtum Optimum Maximum ardentiſſimè rogo, vt æuo quamlongiſſimo incolumis priſcum illud Epiſcopalis Sanctimoniæ, ac munificentiæ decus diu cum populi tibi commiſſi ſalute, ac depulſa a miſeris hominibus calamitate tueare; ac demum ab eodem Chriſto remuneratore æternæ fælicitatis præmia in Cælesti Beatitudine beatus ipſe, ac ſanctus conſéquare. Vale.

Piſis decimo ſexto calendas Ianuarias 1667.

Clariſſimo, ac Præſtantiſſimo Viro
FEDERICO NOMIO.

Aretium.

BInas, clariſſime Federice, diuerſis a te temporibus datas accepi, in quibus par vbique elegantia, idem humanitatis exceſ-

ſus, idem amor, & ſingularis tua in me propenſio, tum laudes quoquè, quas tu vberrimo ſtylo profundis, plurimæ apparent. Amore quidem, & tua iſta optima voluntate nihil mihi potuit iucundius accidere; laudes verò, meæ ipſe conſcius imbecillitatis, admittere non potui; affectum tamē, qui te ad eas impulit ſcribendas, toto libēs animo amplector. Oden, quam Sanctiſſimo Principi Clementi Nono ceciniſti, tuo planè præſtantiſſimo ingenio dignam, alijſq; æternis, quæ edidiſti, monumentis ſimillimam ſummo cum gaudio accepi. Legi iterum atque iterum, ſemper cum incremento, & admiratione tuæ eximiæ virtutis. Gratias pro munere eius maieſtatis, cui canitur, pleniſſimo ſummas ago. Ego aliquid tibi, ſed multo tenuius, Hymni inquam mei Saleſiani exemplar repono; id quæſo, ab amiciſſimo tibi homine libens accipe. Vidi Clariſſimi Viri Laurentij Legati Agriomeleida, teque ibi cum Redio honorificè appellari gauiſus fui, me quoquè, quæ viri illius ſumma humanitas fuit, cùm ego nequaquam dignus ſim tam claris Italiæ luminibus inſeri, reperi, & boni ominis loco habui, quod non procul a te, ac Redio qui prima huius æui lumina habemini, diſiungar; inde enim aliquid ſplendoris tenuitati meæ acceſſurum puto. Hos dies ortu Numinis conſecratos, annumque ad noua ſe principia vertentem, toto ex corde tibi fortunatos, ac fœlices opto. Me tui nominis,
tuæ

tuæque præſtantiſſimæ virtutis cultorem, eximium, ac indiſſolubili tibi amicitiæ vinculo adnexum quo ſoles amore complectere. Vale.

Piſis decimo quinto calēdas Ianuarias 1667.

Illuſtriſs. ac Excellentiſs. Viro D.D.
MARCHIONI PLANESIO,

Auguſtam Taurinorum.

MVlto fortaſſe ſerius, quàm id in primis me hominē tuę Amplitudini deuinctiſſimum decebat, præſenti litterarum officio defungor; ſed ea vnica, propter quam moras traxi, cauſa extitit, quòd non auderem ſanctiſſimæ tuæ quieti in iſta religioſa ſolitudine vllo intempeſtiuo òbſequio moleſtus obrepere. Atque adeo hoc idoneum tempus expectaui, quo meum in te cultum cum omni demiſſione renouarem, ſummaſque pro tua iſta optima in me voluntate, & ſingulari officio gratias haberem, quas nunc ex intimo corde Amplitudini tuæ quamhumillimè perſoluo. Hymnum Diuo Franciſco de Paula cum breuiſſimo totius vitæ elogio contextum, in meæ obſeruantiæ, perpetuique in te cultus mei ſignificationem, vna cum his litteris mitto: reliqua mea Poematia, vt ſuperioribus quoquè litteris indicaui, vbi opportunitas iſthuc cōmeantium offeretur, miſſurus. Me interim,

vt Marchioni a Sancto Thoma tua in primis gratia atque authoritate ſeriò commendes, etiam atque etiam rogo. Hos porrò ſacratiſſimos dies, atque ipſa exorientis anni initia Amplitudini tuæ fęliciſſima opto; Summaque religione ab ipſo Numine efflagito, vt cum ſancta incolumitate vitæ quamdiutiſmè iuuandis rebus mortalibus ſuperſis. Vale.

Piſis decimo primo calendas Ianuarias 1667

Clariſſimo, ac Eruditiſſimo Viro
LÆVINO DEBBAVT
E S. Petri Louanij Canonico, Sacræ Theologiæ Profeſſori &c.

Louanium.

Nihil vnquam gratius mihi potuit accidere, quam de ijs, quas maximè optarem, rebus à Sorore intelligere; de tua inquam proſpera valetudine, quam vt tibi & hoc nouo exoriente anno, & multis adhuc aliis conſequentibus conſtantem Deus Optimus Maximus clemẽter indulgeat, precibus meis quotidiè opto, voueoque. Pro Anna Franciſca ſororis meæ primogenita, quę abdicato ſæculo ſeſe ad Religionis aſylum contulit, gratias in primis ſummas, ac maximas tuæ munificæ humanitati habeo, quòd æs luculentum dotandæ Virgini præbueris; neque dubito, quin illa, quæ æui

ſui

ſui primitias Chriſto Optimo Maximo tam ſponte, tam libenter, ac animoſè conſecrauit, ipſum quotidiè Numen pro tua longiſſima incolumitate exorabit. Aliquid ego, ſed puſillum & tenue, vt meæ tulit tenuitas fortunæ, ſorori, & ſuauiſſimæ nepti ſubmiſi. Nunc de me aliquid. Annum quadrageſimum nonum ante paucos dies attigi; ipſis nimirum calendis Ianuarijs. Valetudo, vt ſolet, imbecilla, ac varia eſt, grauedini, & deſtillationibus obnoxia; non ita tamen grauis, quæ hæc ſtudia amæniora ſiſtat, aut omnino præpediat. Ferè aliquid quotidie pangimus, vulgamuſque; neque Principibus viris, hominibuſque litteratis mei hactenus conatus diſplicuere. De aureo Numiſmate, quod ab Alexandro Septimo Sanctiſſimo Principe dono accepi, a ſorore te intellexiſſe exiſtimo. Duas centurias epiſtolarum iam deſcripſi, quæ fortaſſe hortatu ac ſumptu nobiliſſimi viri primo quoquè tempore typis publicè edentur. In ijs aliquæ ſunt, quas diuerſis ad te temporibus dedi, vt hoc ſaltem grati animi teſtimonio, cùm re vlla maiori non poſſim, quot tibi ſim nominibus deuinctus, poſteritati oſtendam. Supremas tabulas ſuperiore æſtate confeci; quibus rem meam ex guam, quæ in modico ære & domeſtica ſupellectile continetur, ſorori, & Ioanni fratri æquatis partibus addico. Grauem iacturam in obitu Sanctiſsimi Pontificis Alexandri Septimi feci; Spes enim erat, vt aliqua lucu-
 len-

lenta penſione donarer; ſed Numini aliter viſum. Perſeuero tamen cum Flauio Cardinali Chiſio Alexandri Septimi Nepote amicitiam colere. A duabus Religionibus, Carthuſiana, & Minimorum Sancti Franciſci de Paula omnium bonorum operum participationem, ac dicendā poſt obitum Miſſarum ſuffragia obtinui. Hæc habui de me dicere. Sereniſſimus Coſmus Hetruriæ Princeps iam fortaſſe apud vos erit, aut breui venturus eſt. Si placuit venerandi officia deferre, nihil illo Principe humanius, cultius, aut elegantius; Scit latinè ad inuidiam antiquorum. Hic Piſis dum cultus mei ſtudia deferrem, me ſæpius humaniter accepit, meiſque ſtudijs pro ſua clementia patrocinatur. Titulus adeundi ſim ego, qui tuis opibus in aliquam ſi quam fortaſſis habeo, exiſtimationem nominis adoleui aut ſenui. Heu nuntium mæſtum! Sic Daniel frater tuus, Auunculus meus deceſſit? ingemui, quòd virum multis nominibus mihi charum amarem. At hæc quod humana, quod bona quoquè, & in meliorē apud Superos vitam nos traducant, ferenda, immò & optanda ſunt; benè & ſanctè vixit Daniel, noua nunc, & meliore, ita planè confidimus, in cæleſti Beatitudine vita perfruitur. Amitam quondam Adriani Auūculi Vxorem amantiſſimè ſaluto. Vale.

Piſis tertio idus Ianuarias 1668.

Cla-

Clariſſimo Viro
IACOBO ROSSIO.

Lucam.

ALiquid iterum ab Hymno Saleſiano luſimus; exile id quidem, & ſuo impar argumento, & omnino tale, quod à meo, idest tenui ingenio, proficiſcatur. Illud nunc, vt quorumdam Procerum voluntati obſequar, typis iſthic deſcribendum putaui. Sed hic hæreo. Iterum tua humanitate abutor? Videbor fronte parum ingenua, qui te ab vno labore pro me humaniſſimè ſuſcepto continuò ad alium ſuſcipiendum inuito. Alterius opem, atque ſedulitatem implorabo? hoc nefas ſit; viderer enim de tua iſta optima in me beneuolentia, ac voluntate diffidere. Quid ergo? quòd audeā hunc tibi denuo laborem objicere non id mihi, ſed tuæ ipſius facilitati imputabis, quæ ita ſe totam amicis indulget, vt illi audeant etiam ſine metu tibi vltrò moleſti obrepere. Ignoſce, obſecro, Iacobe iucundiſſime, atque hoc iterum pro amiciſſimo tibi homine munus, onus, laboremue libens ſubito. Quot velim exemplaria, quo chartæ diſcrimine, Adrianus noſter coram dicet. Hos porrò dies conſecratos, atque annum denuò exorientem tibi multo fauſtiſſimum, atque alios plurimos conſequentes opto. Vale.

Pisis tertio idus Ianuarij 1667.

 Cla-

Clariſſimo Viro
P. IACOBO OLIMARTIO A S. ANTONIO
Ordinis Carmelitani in Prouincia Belgica
Definitori.

Louanium.

ITa fuit. Quas ſcribis ſuperiore anno ad me datas non accepi; a mea verò ſorore quaternas alio & alio tempore exaratas habui; quibus omnibus, cùm eodem penè ſcriptæ eſſent argumento, vnica vbere, ac prolixa epiſtola reſpondi, proque fortunæ meæ tenuitate æs aliquod chariſſimæ ſorori ſubmiſi; Auunculo quoquè Prçſidi, quòd neptem ſua liberalitate iuuandam ſuſceperit, gratias meis litteris habui; Speroque fore, vt ſuauiſſimæ Virgini nihil omnino deeſſe patiatur. Noui enim eximiam viri pietatem, & largam in re tam ſancta munificentiam. Sororis meæ ſolitudo, abſentia tam longa ac diuturna ſui viri, ſex liberi maternæ cuſtodiæ relicti, eiuſque humeris res omnis familiaris innixa, & alia, quæ ſuboriri ſolent, incommoda, animum meum haud mediocriter affligunt; id tamen mærorem lenit, quòd hæc omnia, & ſi grauiſſima ſunt, ſoror æquo ac conſtantiſſimo animo ferat; immo & alacri vultu, cùm apud Auunculum agit, ſuos luctus prudentiſſimè tegat. Dabo profectò operam, vt mea fert tenuitas, vt non prius ſorori, quàm mihimetipſi defuturus ſim. Nunc ad te, clariſſime Iacobe, totus redeo. Dici non

po-

poteſt, quanto me tuæ litteræ gaudio cumularint; quàm ego te abſentem abſens toto animo complector Philippi Olimattij & Mariæ matris tam nobile, ac egregium iam in Patriæ decus, & Carmelitanæ Religionis ſplendorem fæliciſſimè adultum! tua virtus ac ſingularis doctrina Belgicis claudi limitibus non poteſt. huc etiam ad nos in Italia tui nominis præſtantiſſima fama peruenit. Amo penitus te Virum multò clariſſimum, & meritò mihi gratulandum putaui, quòd tibi tam arcto propinquitatis vinculo ſim coniunctus; Auia enim mea, tuuſque Auus maternus fraterni ſanguinis neceſſitudine coniunguntur; eòque etiam tenerius te amo, quòd cùm infirmior mea ętas Gandæ latinis elementis informaretur, in ædibus Auunculi mei Canonici Ioannis tuam matrem tūc optimo & honeſtiſſimo vultu virginem, ac Philippum patrem tuum, tum egregia & laudatiſſima indole iuuenem humaniſſimè ad epulas cum Auia tua exceptos meminerim me ſæpius vidiſſe. Videſnè quam Philippus pater conſtanter ac honeſtiſſimè amaret; qui tot virginibus, forma, opibus, & ætate florentibus Bruxellis in Patria ſua ſpretis ad triginta millia paſſuum proficiſceretur, vt Mariam, quæ tibi futura eſſet mater, ſacro ſibi nuptiarum fœdere ſociam curarum, ſuæque domus firmamentum adiungeret. Si fortaſſis aliquid de me ipſo aues cognoſcere, id ex ijs litteris, quas nunc vna ad Auunculum Præſidem dedi, co-

gnoſces. Tu verò Iacobe Olimarti, egregium ſanctioris doctrinæ, & Belgii noſtri decus, a me propinquo tuo, tuique nominis amantiſſimo etiam atque etiam ſalue. Vale.

Piſis tertiò idus Ianuarias 1668.

Clariſſimo Viro
GEORGIO SALOMONIO
Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini.

Teneramondam.

A Franciſco fratre meo accepi pleraſq; abs te iſthinc ad me litteras diuerſis temporibus datas; at ego præter illam, quà è decem quaſi annis miſiſti, nullas omnino vidi, vt neque Poemata tua Antuerpiæ edita, quæ te ſcribit quinque Comitibus Sarmatis dediſſe. Sarmatas nihil moror: fœtus præſtantiſſimi tui ingenij libenter vidiſſem, audio enim te egregia doctrinæ fama apud Belgas florere, eoque nomine tibi plurimum gratulor, qui communis Patriæ noſtræ decus æternis tuæ Muſæ monumentis præclare attollis. Tu ſi me audis, cum librarijs Antuerpianis age, ijs tua opera, quę ad me perferri cupis, committe, vt ſuo faſciculo librorum illigata (mittunt enim ſæpè in Italiam quos hic mutent libros) ad me facta inſcriptione perueniant. Si quid porrò vis in itinere perdi, ſint litteræ, ſint

li-

libri, da Amicis, vix vnquam continget (id expertus, & eluſus dico) vt perferantur. Poematia mea hic Piſis euulgata apud Auunculum meum Collegij Malderi Præſidem Louanii inuenies; quinque enim & viginti exẽplaria iſthuc miſij. Hymnum Sancti Thomæ Villanouani velim vidiſſes, vt & alia pleraque Poematia mea, quæ fortè omnia ſimul iuſto volumine comprehenſa Lugduni Galliarũ typis ſubiicientur, & facilè indè ad vos iſthuc peruenient. Quæ a me volebas Romæ procurari, cùm iam ſoluta eſſent comitia, & mei iſthic Purpurati Patroni ob valetudinem Summi Pontificis Alexandri adiri per litteras nequirẽt, haud fieri alieniſſimo, vt vides, tempore potuerunt. Annum, qui ad noua initia conuertitur, aliosque qui adhuc plurimi conſequantur, tibi fœlices ac fortunatos opto. Precibus tuis, dum ad Aram facis, me valde commendo. Vale.

Piſis pridiè idus Ianuarias 1668.

Thomas Saluiatus Epiſcopus Aretinus.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Piſas.

Mirifica in pangendis Carminibus induſtria tua vel ingraveſcentem hãc ætatem, Petre Adriane mi, ita excitat ad

Hymnos, quos tam concinniter modularis, vt ſumma cum laude te verſatum cum Muſis veritati obſequens fatear. Præclaros, atque caſtos, ſiquidem erga duos Cœlites, animi tui ſenſus verè Muſas Vandenbroechii virgines eſſe declarant. Apagete proſtituta Pindi carmina; ſacras enim haſce laudes oſculor, & caſto authori ob exemplar mihi miſſum gratias quamplurimas ago, & vbi opus erit (pro viribus tamen meis) præſto ero. Mactè animo ſis vir egregie, & Poetis, qua pergere poſſint ad aſtra, oſtendas. Tuis interea auſpiciis mihi gratiſſimis vt reſpondeam ſub ſacro adhuc ſydere natalitio profectus, & fructus illos tibi auſpicor ad aras, qui chriſtiano vati; cœli coronas valeant immortales mercari!

Aretij pridie idus Ianuarias 1668.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE Eloquentiæ in Piſana Vniuerſitate Profeſſori.

Stephanus Gradius.

Piſas.

DVo exemplaria, quæ ad me mittis Carminum tuorum de laudibus Sancti Franciſci Saleſii reddita a me ſunt Eminentiſſimis Cardinalibus Chiſio, & Ilcio, quemadmodum a te ſum iuſſus. Vnum apud me retinui, legique diligenter, cumque ſumma

tui

tui ingenii, doctrinæque admiratione; ac inter cætera, quibus meam Bibliothecam ornare ſæpè dignatus es, monumenta repoſui; magnaſquè, & ſingulares hoc nomine humanitati tuæ gratias habeo. Orationem a me habitam in prçteritis de creando Summo Pontifice comitiis, de qua inaudiuiſſe te dicis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, [perferendam ad te quamprimum curabo; typis enim impreſſa eſt; Sed vt cum amico potius, quàm cenſorio animo perlegas oro; ita enim fiet, vt minus ineptus tibi videar, quòd in publicum tam leuiter ab ingenio, ac doctrina inſtitutus prodierim. Vale, & me, vt facis, amare ne intermitte.

Romæ quinto calendas Februarias 1668.

Clariſſimo, ac Illuſtriſſimo Viro
ÆGIDIO ABBATI MENAGIO.

Lutetiam Pariſiorum.

BOni Superi! quanto me gaudio tuæ litteræ ſumma humanitate, ſumma elegantia exaratæ cumularunt! vici mea vota, ac ipſa, vt dicunt, ſydera penè vertice attigi, dum me & tua amicitia, amore, ab omnibus beneuolentis animi officiis tam amāter, tam honorificè dignum cenſes. Scit Redius noſter, tuo in primis nomini, ac gloriæ deditiſſimus, dum tuas mihi offerret quā rep entina lætitia attonitus ad nomen litterarum

rarum Menagii aſtiterim? Collegi me tandem; S t copia inquam videndi? iterum atque iterum cum intimæ voluptatis ſenſu legi; & certè cùm te ipſum complecti non poſſim, ipſam epiſtolam, ac ipſa ſimulacra litterarum tamquam aliquam tui in iis imaginem venerationis meæ oſculo contigi. At tibi ſummo, ac maximo Viro omnium arbitro litterarum, qui tenuitatem meam tam liberali elogio honeſtandam putaſti, quid ego reponam? totum me ipſum, totum cum ingenuo cultu, ac conſtantiſſimo amore tibi perpetuò deditum. Hanc obſecro voluntatem nullis adulandi illecebris inquinatã, ſed puram, atque animo aperto profluentẽ libens agnoſce. Mitto per clariſſimum Rediũ, cuius humaniſſimo patrocinio hic ferè omnes trãſalpini vtimur, Hymnos meos, Epithalamia, & alios luſus, cũ libello Poematiorũ in amoris mei, ſeu pignus ſeu monumentum. Tu Aſtrum, immo Sol tuæ Galliæ, has faculas infuſa caligine vix lucentes, humanitatis tuæ iubare illuſtra; illuſtrabis verò ſi & amanter accipies, & ingenio meo infirmo ignoſces. Nunc aliqua addo, quibus ſi oneroſus ſim, id ſummæ humanitati tuæ, quæ me, quàm decuit, confidentiorẽ fecit, imputabis. Animus eſt omnia mea Poematia, & pauca alia, quæ miſſurus sũ, iuſto volumine comprehenſa iſthic Lutetiæ elegantibus typis ſubiicere, & commodam libelli molem, vt aiunt in ſexto, aut alia forma efficere. Sinerem ipſi typographo
quiu-

genta, aut plura ſi plura velit, exemplaria, mihi ducenta ſuffecerint. Aueo ſcire an hoc aliquis librarius ſuo ſumptu præſtandū ſuſciperet; ſin minus, quo ære folium in octo pagellas replicandum imprimeretur; an verò quiſpiam conueniēdi cum hominibus typographis modus ſit. Te etiam, atq; etiam Vir Clariſſime oro, vt ſi id commodè a te fieri poſſit, ea de re aliquid reſcribas; me verò tuo velis amore, ac patrocinio complecti. Vale.

Piſis nonis Februarij 1668.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Equiti
CAMILLO MARCHIONI COPPOLI.

Labeonem.

CVm Frāciſcus Cauderonius Ciuis meus Tenaramondenſis, quem hic anteà tuæ eximiæ humanitati non ſemel commendaui, iſthuc Labeonem ſe conferat, non potui non hominem optimum, quo propius ab Amplitudine tua iuuandus ſuſcipiatur, hoc qualicumq; obſequio litterarum proſequi. Rurſus itaque te quammaximè, quamardentiſſimè oro, vt hunc hominem fide, & militari diſciplina, ac robore præſtantem, arma enim ab adoleſcentia, & præſertim Auſtriaca, ſequutus eſt, & nomen aliquod, ac decus militare geſſit, Comiti Bardio totius militiæ Tyrrhenæ Præfecto ſedulò cō-

men-

mendari agnoui. Boni Cœlites! quid ego tibi, qui huius æui præſens decus exiſtis, ac tui nominis ſempiternam laudem iam viuacibus meritis, quę nulla vnquam ſit obliuio deletura, ad omnem poſteritatem tranſcribis, poſſum vnquam, quòd te, aut tuâ maxima virtute dignum ſit, rependere? profectò nihil. Sed hac vna re plurimum me conſolor, quòd videam eam tibi naturæ bonitatem diuinitùs obtigiſſe, qua tu fretus & publicè & priuatè ita ſtudes de omnibus mereri, vt quæ alij a te beneficia conſequuntur, ea ipſa tu accipere videaris; atq; adeo mens tua ab omni ambitione, aut largitionibus acceptãdis, quę ſępè labes Optimatium animis adhæret, ſit ſemper remotiſſima. Igitur in id vnum incumbam, vt tuę in primis Amplitudini pro tot veteribus, ac hoc recenti gratuitæ donationis beneficio gratias ſummas atq; maximas habeam, meiſq; precibus Numen obteſtor, vt tibi in commoda totius Hetruriæ quamlongiſſima incolumitas æui obtingat. Magni Ducis generoſæ, ac munificæ pietati meo nomine gratias vt habeas valdè oro. Vale.

Piſis poſtridie idus Martias 1668.

tum, ſiuè ad decus, ac ſempiternæ laudis gloriam vti ſolemus, libentes, vt facitis, adijcite, atque hinc quoquè vobis pulchram nominis immortalitatem comparandam proponite, meque veſtræ laudi ac gloriæ omni no addictum quo ſoletis amore proſequimini. Valete.

Piſis poſtridie idus Martias 1669.

Ægidius Menagius

PETRO ADRIANIO VAN DEN BROECKE.

Piſas.

CVm has tibi litteras exarabam, vehementiſſimo capitis dolore vexàbar, eo breuiores erunt. Accepi Poemata tua; faciam quod iubes, ac librum tuum Typographo edendum tradam, ſimul accepero à Redio noſtro reſponſum, ad quem nonnulla de ordine totius operis, itemque de titulis ſingulorum Poematum tecum communicanda ſcripſi. Vale mi Adriane, & breuitati litterarum mearum ignoſce.

Lutetiæ Pariſiorum die ſexta menſis Aprilis anno 1668.

Illuſtriſs. ac Clariſs. Senatori
ANTONIO MICHELOZZI
Iuriſdictionis, & Dominij Florentini
primo NouemViro.

Florentiam.

DVm nuper Amplitudini tuæ & venerationis meæ obſequia deferrem, & profectionem Florentinam incolumem augurarer, verſus iſtos manuſcriptos, quibus Franciſci Mariæ filij tui, ſummæ ac maximę ſpei adoleſcentis honorem proſequutus fui, me typis quoquè ſubiecturum eſſe promiſi. Quam rem, cùm tot tibi ſim nominibus obſtrictus, neque tu ceſſes quotidie alijs officijs magis me tibi, arctiuſque deuincire, incredibili quadam animi alacritate præſtiti, vt ſaltem hoc grati animi munuſculo palam oſtendã, quãtũ Amplitudini tuę debeã, quamque toto animo velim, ſi eiuſmodi rei facultas eſſet, aliquid tuæ ſummæ humanitati rependere. Sed profectò nunc tantùm conatus ſupereſt, quem, vti confido, pro tua optima in me propenſione omnino talẽ agnoſces, ac ſi re ipſa, quæ tua ſumma exiſtimatione digna ſint, obtuliſſem. Pauca igitur exemplaria hæc in meæ obſeruantiæ, amoriſque eximij pignus libens cape. Alia quadraginta Aulæ Proceribus diſtribuenda Forzonio miſi. Franciſco Mariæ filio tuo ſuauiſſimo ſalutem officioſè cum mea veneratione aſcribo; tibique omnia proſpera à Summo Numine opto, veneoque.

Vale.

Vale.

Piſis decimoquinto calendas Maij 1668.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO,

Florentiam.

SI quid vnquam mihi gratum potuit accidere, aut quod omnibus meis votis maximè deſiderarem, id mihi tuæ, clariſſime Forzoni, litteræ nuntiarunt. Tuæ porrò humanitati, quas me decet in ipſo limine litterarum gratias habere, ſummas in primis aſcribo. Incredibile dictu eſt, quam repêtina ſim voluptate perfuſus, dum mea exêplaria partim in Italia typis deſcripta, partim manu exarata Lutetiam Pariſiorum, vt iſthic recudantur, ſalua perueniſſe intellexi, ſimulque de Menagij Clariſſimi Viri voluntate conſtitit, qui ſua ſtudia impreſſioni futuræ mirifica erga me hominem immeritum propenſione, promittit. Dic obſecro, hoc nomine mille & mille grates Redio noſtro omnium litterarum arbitro, qui magni illius Mœcenatis Ciuis ſui Aretini non tam veſtigia imitatur, quàm munificam cultiſſimi hominis humanitatem exprimit. Quod addit prӕterea de reddêda Menagij ad meas reſponſione, exacta dierum eſurialium religione, me mirifico planè gaudio cumulauit. Is re uera vir eſt, qui & doctis non modò ho-

hominibus oblectetur, ſed eos quoq; amãdos putat, qui vel ſuo conatu aliquid in publicum ſuis prodeſſe lucubrationibus ſtudent; Luſus meos extemporaneos in honorem Michelozzij filij te iam puto accepiſſe; remq; omnem Proceribus iſthìc diſtribuendi exemplaria tuo ſingulari iudicio permiſi. Te verò Clariſſime Forzoni, etiam atque etiam rogo, vt ſi quid litterarum ad me Lutetia Pariſiorum iſthuc aduenerit, id mihi Piſas primo quoq; tempore perferendum cures. Nuncupationes Redio, & Menagio inſcribendas intermiſſa tantiſper Diui Donati lucubratione ſuſcipiam. Adrianius noſter tibi officioſiſſimam ſalutem, ego Tyrrhenæ Aulæ Proceribus. Vale.

Piſis octauo calendas Maij 1668.

Viro Clariſſimo
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

HAbes hìc, optime ac humaniſſime Forzoni, faſciculum, quẽ Clariſſimus Redius pro ſua humanitate Menagio Luteſiam Pariſiorum mittet. Sitti omnia aperta. At lege, obſecro, omnia; & ſi quid minus arriſit, dele, expunge, repone. Sic enim tutius in lucem prodibo. Ordinem futuræ impreſſionis videbis, qui ſi tibi placuit, vota mea omnia expleui. In ſupremo

Oda-

Odarum, & Epigrammatum libello album quoddam reliqui, vt ibi ſuauiſſimæ ſororis tuæ prænomen aſcribas, quod mihi, & ſi hic dixeris, homini immemori excidit. Epiſtolam Menagij cui iam impreſſum ſigillum apparet, leui madore conſperſum occlude; proquè tua eximia in me beneuolentia Redium, ideſt ipſius humanitatis nomen, roga, vt hic faſciculus ſuis litteris contectus citò ad Menagium perueniat. Hæc mihi vnica mei voti ſumma eſt. Tu verò, clariſſime Forzoni, qui intimo mihi hæres in animo, plurimum ſalue, & huic breuitati mearum ignoſce; hos enim octo continuos dies adornandæ impreſſioni, & nuncupatorijs litteris exarandis impendi. Tibi verò ſatis ſit cùm vacabit vel minima breuitate epiſtolæ tui me iudicij certiorem facere. Vale.

Piſis pridie nonas Maij 1668.

Illuſtriſs ac Clariſs. Viro.
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

VNiuerſæ impreſſionis futuræ ordinem in ſuos libros aptè, vt mihi quidem videtur, diſtributum hic mitto. Sereniſſimo Cardinali Mediceo generalis nuncupatio nulla expreſſione contracta relinquitur. Secundo libro Syluarum epiſtolæ nuncupatoriæ clariſſimum tuum nomen præfixi, vt

indè mihi decor aliquis, qui a me ipſo haberi non poteſt, concilietur. Hymnos ſuo ordine, & loco diuiſos Menagio nuncupaui. Tum me humaniſſimo Viro purgaui, quòd is mihi viſus eſt credere curam conficiendi argumenta è notis ad marginem poſitis ſibi relinqui. Epiſtolam ſiui apertam, vt ſit locus legendi, ſi id fortaſſis placet, quam mox clauſam cum ipſo faſciculo vt Lutetiam mittas te etiam atq; etiam ardentiſſimè rogo. Menagianæ epiſtolæ, quæ ad me fuit, exemplar hic habes. Nihil omnino de ſûptu typorum, de numero exemplarium, de ducentis, quæ ad me ſpectarent, libris adiûgit; tamen ducenta ipſa exemplaria ego omnino capiam, & rei domeſticæ parſimonia vtar, vt illud æs ſuo tempore perſoluendum ſeponam. Nunc ſummoperè rogo, vt in ijs litteris, quas ad Menagium daturus es, hanc impreſſionem ſedulò commendes. Velim in primis e lamina Cypria dignum primæ pagellæ frontiſpicium, eiuſmodi tamen quo paupertas mea obrui non poſſit, argumento. Velim typos elegantes non tam mea cauſa, quàm eorum, quibus Poematia inſcribuntur. Quarto loco Cardinali Fachenetto nouum quoq; Elegiarum librum adieci. Salue mi Redi ingens Italiæ decus, tuique amantiſſimum hominem redama. Vale.

Piſis pridie nonas Maij 1668.

Illuſtriſsimo, ac Clariſſimo Viro
ÆGIDIO MENAGIO.

Luteſiam Pariſiorum.

QVarto calendas Maij tuas, Clariſſime Menagi, accepi; quæ etſi mihi multo iucundiſſimæ, magno me tamen mœrore deiecerunt, quòd dum exararentur vehementiſſimo dolore capitis te vexari nuntiarent. Boni Cœlites! quæ hæc tua humanitas, aut ſedulitas officij, quo etiam inter ipſos cruciatus defungi voluiſti! at me certè non mediocriter aut incogitantię aut ruſticitatis meæ piguit, quòd mea ante Poematia non diligentius in eum ordinem, quo typis ſubijcienda eſſent, redegerim, atque adeo tibi omnium præſtantiſſimo ac humaniſſimo Viro eas ſim viſus moleſtias obijcere, quæ te minime ſummo Viro, & tanti per Europam nominis dignæ eſſent. Sed dicam ingenuè, & ex antiquo Galliæ noſtræ candore; Cùm faſciculus iam iam colligandus expectaretur, in ſumma properatione iſta pauca de ordine impreſſionis exaraui; tunc tamen (teſtes ſint mihi Superi) librarium tuũ vel qui ſolet typis pręeſſe correctorem ſpectaui, & ipſe vniuerſæ editionis ſeriem vnà ſtatim cum epiſtolis nuncupatoriis ſubmittere cogitaui. At æquo tardius diſtuli: non repono prouinciæ meæ labores vt purger, ſed eius meæ tarditatis veniam à tua ſingulari humanitate deprecor. Omnia nunc in ſuum ordinem diſtributa miſi, tum ipſos

Hymnos tuæ in primis Amplitudini nuncupaui, vt mea nouitas inſpecta tui nominis authoritate benignius in Gallia excipiatur, aut toleretur. A librario tuo, vel ipſo typorum correctore poterit hæc ipſa diſtributio, vt ea ſic ſeruetur, hominibus typographis tradi. Si verò elegantibus typis quamprimum ſubiiciantur, id mihi longè gratiſſimum erit. Rogaui humaniſſimum Rediũ vt hunc faſciculum tibi quamcelerrimè perferendum curet; & me totum cum ſumma veneratione, ac cultu Amplitudini tuæ dedo. Vale.

Piſis pridie nonas Maij 1668.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

SVpremis, quas ad me dediſti, litterís nihil mihi vnquam gratius potuit accidere; id vnum ad integræ voluptatis ſenſum defuit, quòd in iis valetudine te minus cõmoda vſum eſſe cognoui. Nunc tamen ex animo gratulor, quòd depulſa penitus grauedine in vigoris priſtini robur atque alacritatem redieris; oroque Sanctiſſimos Cęlites, vt vigor iſte animi, & firmitas virium æuo tibi quamlongiſſimo conſtet. Quòd nuncupatorias, ac Poematia in ſeum ordinem digeſta probaris, incredibile dictu eſt, quàm

quàm gaudeam! Cui enim potius optem probari, quàm tibi, quem inter primos huius æui litteratos & ſingulari doctrina, & eximia omnium elegantiarum laude pręſtátem ex animo veneror, atque vnicè amó? Hymnum Diuo Donato Pontifici Aretino, & Martyri tandem pertexui, multo quidem in eam rem labore adhibito, tum quòd pleraque cum alijs Cœlitibus communia in ipſa ſerie vitæ ſeſe obtulerint, quæ iam alibi in Hymnis editis tractaui, & ego inops ab vbertate, & ipſa varia vocum ſupellectile, vt Romanæ par eſſet elegantiæ, eleganter variare non potui. Tum etiam quòd animoſo iſto impetu ac calore, ætate iam in ſenium vergente deſtituimur, & quotidiano labore, cui me hæc prouincia addicit, multum exhaurimur. Quicquid id eſt, ſuaue fuit Redio noſtro, præclaro Italiæ ornamento, obſequi. Curaui exemplar claris ſimulacris litterarum deſcribi. Cenſe, obſecro, dele, muta, ſed liberè, ac libenter; tum meo nomine ipſum Redium pro tuo in me amore oręs velim, vt Hymnum ſuarum faſciculo inſertum Menagio Lutetiam Pariſiorũ perferendum curet. Tu mihi Forzoni litteratę Hetruriæ eximium decus ſalue, tuiq; amantem ama. Vale.

Piſis pridie nonas Iunij 1668.

Illuſtriſs. ac Clariſs. Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

HYmnum, quem tuo in primis hortatu, ſtylo vtcumque adornandum ſuſcepi, nunc Superis bene iuuantibus ad finem perduxi; non quidem ea numerorum elegantia, quæ & ipſi Diuo deberetur, & cultis Italiæ auribus digna eſſet, ſed eo conatu, qua mea potuit imbecillitate proficiſci. Te verò Clariſſime Redi oro, vt in hac re meam potius voluntatem, quàm rem ipſam pro tua velis humanitate agnoſcere, & ipſum exemplar primo quoquè tempore Abbati Menagio Lutetiam Pariſiorum mittere. Hic alia impreſſio adornabitur, in qua epiſtola clariſſimo tuo nomini inſcripta apparebit. Gratias porrò immortales tuæ iſti mirificæ humanitati habeo, quòd tot & tanta pro me homine immerente incommoda ſuſtineas, tuoque quotidie patrocinio magis ac magis tueare; ſperoque fore, vt quod ego rependere non poſſim, id tibi larga manu Diuina bonitas compenſet. Nos hic in ſolitudinem æſtiuam relabimur. A profeſſoribus diſciplinarum aut iam abitum eſt a multis, aut quotidie in patriam abitur. Hactenus grauioris Cæli inclementia nulla inardeſcit, neque vllus vitio valetudinis laboratur, ſi perpaucos ſenes demis, quibus aut frigus æui tabem inducit, aut hebes ſanguis protrahēdæ vlterius vitæ vigorem negauit. Proce

ceribus Tyrrhenis meam cum obſequioſo cultu ſalutem aſcribo. Adrianius noſter tibi plurimam ſalutem. Ego me tibi Clariſſime Redi ingens Hetruriæ decus cum intimo cultu ac amore denuo totum dedo. Vale.

Piſis poſtridie nonas Iunij 1668.

Præſtanti, ac ornatiſſimo Iuveni
IOANNI CAROLO BELLVCCI
Patritio Piſtorienſi.

Piſtorium.

TVis iſtis litteris nihil mihi iucundius, atque gratius iam a multo tempore accidit; Video enim & te libenter mei nominis recordari, meamque tibi valetudinẽ, qua, cùm hinc diſcederes, minus firma ac commoda vtebar, ſummoperè curæ eſſe, quod hic etiam amantiſſimè teſtatus es, cùm me non modò frequenter inuiſeres, ſed ſabri quoquè antidoto, quo reliquias morbi depellere, & tueri deinceps valetudinem poſſim, liberaliſſimè donaſſes. Nunc verò, poſtquam iſthuc in Patriam remeaſti, nouo ſanè amoris tui teſtimonio ad cœli iſtius ſaluberrimos hauſtus, & ad ſororis tuæ ſuauiſſimæ nuptias inuitas. Sim profectò duriſſimus mortalium, ni ego tot officiis amãter prouocatus te quoquè ſingulari quodam amore, ac affectu maximo proſequar, habeam-

beamque tuæ eximiæ humanitati ſummas gratias; eo quidem animo, ac ſi iſthic vobiſcum in iſto clemētiſſimo cælo degerem, ac ipſis nuptijs, quas Clariſſimæ familiæ tuę fauſtiſſimas opto, intereſſem. Incredibile dictu eſt, quàm id, quod in extremis tuis litteris fuit, animum meum nouo gaudio excitarit; ergo Pinius meus iſthic? & in illa clariſſima Religione? oh te fœlicem, cui è fonte tam limpido ea omnia, quæ ad purioris eloquij laudes pertinent, iam haurire datur. Optimo, ac præſtantiſſimo Patri ſalutem obſecro cum mea veneratione nuntia; quod idem velim Clariſſimo Parenti tuo, ac nouis coniugibus a te fieri. Vale.

Piſis poſtridie idus Iunias 1668.

Clariſſimo, atq; ornatiſſimo Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Petrus Andreas Forzonius.

Piſas.

QVòd elegantiſſimis elucubrationibus tuis pro noſtra vetere coniunctione me quamprimum frui, & gaudere non abnuas, nobiſmet ipſis ſatis gratulari non poſſumus; at quòd eas à me cenſeri iubeas, quas æquè ſuſpicere, & admirari non valemus, id eſt huiuſmodi, vt nimiæ demiſſioni tuæ magis ſuccenſendum, quàm eximio

in

in nos tui amoris exceſſui grates reddendas arbitremur. Hymnum S. Donato Aretino Antiſtiti adeo numeris omnibus abſolutum repetita lectione cognouimus, vt dum omnia libenter & ex animo probamus, modeſtiam tuam arguere, in eamque ſolùm animaduertere vel inuiti cogamur. Enimuerò nec eſſe fuit tibi homini tyroni, & in re poetica valde ieiuno multa præfari, & præuia excuſatione mendas diluere, quas ego acerrimus & conſummatus cenſor liberrimi calculi, timendique iudicij vir, aucupari potuiſſem. Vix quicquam (omiſſis ironicè ludis) nouiſſimo Hymno tuo iucundius, lepidius, viuidus nobis eſt auditum. Quorſus igitur quereris plura loca alias abſtracta in Poematis aliorum Cœlitum nũc bene variare non potuiſſe, cùm prçterquamquod ſemper ea fæliciter & ad ſtuporem explicaueris, vberrimum tuum ingenium maris ad inſtar, nec æſtu, nec exeuntium ſubter per abditos telluris meatus vaſtorum fluminum aquas imminui, & arctioribus finibus occludi poteſt? quorſus etiam vergentis ætatis vitio æſtro in primis te animoſo deſtitui vereris, cùm numeris ipſis, robuſtiſque ſtyli elegantijs Hymnis abundè affluat, & anteactas ſcriptiones tuis, quas ab omni litteratorum ordine plauſibus exceptas, vna nimique ſuffragio aureo ſæculo inuidioſas, is vel exæquet, vel ſuperet? Sed ego debito quidem meo, ingenuo autem pudori tuo non conſulere lau-
 di-

dibus hiſce licèt minoribus me agnoſco. Ob ſerues velim carmen ab elegāti amanuenſe fortè pede mutilatum;

Sacra, truciqne aras a cæde madentes.

& reſcribas quomodo ſit ſupplendum. Ineuntis hebdomadis tabellario cum faſciculo litterarum Redij noſtri Viri Clariſſimi Lutetiam mittetur Hymnus, dum interea librarius excudendo libro tuo fortaſſe vacabit, & reſponſum opperimur Menagii Abbatis, quo alium faſciculum cum impreſſionis ordine a ſe acceptum docebit. Vale decus & tutela litterarum.

Florentiæ pridie idus Iunij 1668.

Clariſſimo Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

POſtridie idus Iunias litteræ tuæ, Clariſſime Forzoni, cultiſſima ſtyli venuſtate exaratæ, tum amoris in me tui, & eximiæ humanitatis pleniſſimę mihi redditæ fuerūt, quas dum mira voluptate animi, vt tuas omnes ſoleo, auidiſſimè perlegi, materiem erubeſcendi vberrimam in iis ſtatim reperi, dū meos iſtos conatus, & vt ego affirmo, iſtam molitionem mentis tardam, ſegnem, ſolius deniquè laboris pertinacia commendabilem plus æquo attollis, non tam è iudicii

tui præſtantiſſimi calculo, quàm a tua erga me propenſiſſima voluntate, qua fit, vt næuis meis omnibus indulgentiſſimè ignoſcas, cætera verò mediocria prædicare non ceſſes. Quicquid tandem eiuſce rei eſt, te toto penitus animo, ac indiſſolubili quodam amoris nexu cum ſummo meo cultu, atque obſeruantia complector. Tum mihi ipſi hoc in primis nomine gratulor, quòd tibi tã candido, tam aperto iudici ac arbitro litterarum mea eleganti teſtimonio tuo comprobari intelligam. Ita profectò ſiuè ſegnitie relegendi attentius, ſiuè, quod ferè omnia memoriter tenerem, factum eſt, vt ille verſiculus fædè mutilatus remanſerit. In eo herclè vocula, quæ ad excitandam miſerationem pertineat, omiſſa eſt, quam hic ſuo loco, vnde eliſa eſt, reſtituo,

Sacra, truciq; aras lugubrè a cæde madentes.

Te etiam atq; etiam oro, vt eam quoquo modo, aut margini, aut ipſi verſiculo inſeras,, ſummaſq; omnino grates habeo, quòd me huius rei quamprimum tuis litteris certiorem feciſti. Proceribus Florentinis, & præſertim Clariſſimo Redio noſtro cũ mea veneratione ex animo ſalutem. Adrianius noſter te officioſiſſimè iubet meis verbis ſaluere. Eſt in manibus Auditoris Farinulæ quædam mea leuibus numeris Elegia puero Equiti Valentino Auditoris nepoti inſcripta. Vale Vir Clariſſime omnis doctrinæ ac elegantiarum decus.

Piſis decimoſeptimo calendas Quintilis 1668.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

DVm quotidie, Clariſſime Redi, aliquid eiuſmodi meis litteris cupio adiungere, quo & earum exilitas, & ipſa poſſit inanitas argumenti compenſari, neque interim ea res ex voto ſuccederet, vidi herclè pluſculos mihi dies in hac ipſa cogitatione ſcribendi proceſſiſſe: Abrupi itaque me, tuæque eximiæ humanitati confiſus & ſi dignum epiſtola argumentum deeſſet, meæ tamen venerationis ac amoris obſequia his volui inanibus litteris conteſtari. Diui Donati Hymnus, vt prudentiſſimè mones, in Hetruria typis non edetur. Eius loco Beatę Claræ Gambacurtiæ Sacræ Virgini Piſanæ Hymnum contexui, quem hic animus eſt impreſſioni ſubiicere. Quicquid huius lucubratiunculæ erit, inter primos videbis cum alio quodam Hymno decem millibus Martyrum inſcripto. Aueo valde ſcire an aliquid Lutetia Pariſiorum iſthuc noui peruenerit. Vereor interdum, (quod boni Superi auertant,) ne fortaſſe valetudine minus proſpera Menagius vtatur. Te verò etiam atque etiam oro, vt pro tua eximia in me propenſione, ſi quid noui acciderit, me quamprimum litteris tuis certiorem facias. Salue cultiſſimum Italiæ decus Redi, meq; quo ſoles deinceps patrocinio tuo complectere. Vale.

Piſis ſeptimo idus Quintilis 1668.

Clariſſimo Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

CVm Redio noſtro Viro Clariſſimo minus probari intelligerem, vt Hymnus Diui Donati in Hetruria imprimeretur, ſtatim prudentiſſimo illius conſilio acquieſcēdum eſſe putaui; cumque interim in ipſo Sanctiſſimæ Virginis Cœleſti aſcenſu iam a multis annis, vt ingenij mei debilitas eſt, ſolerem aliquid luci, & religioni aduenarū imperti, in horum Ciuium gratiam Hymno Beatæ Claræ Gambacurtæ, Nobiliſſimæ & Sāctiſſimę Ciuis Piſanę laudes proſequutus ſui. Nonnulla hic habes exemplaria cum Hymno decē millibus Martyrum inſcripto. Vbi verò locus, occaſio, & quæ molliſſima fandi tempora ſeſe dabunt, pro coniunctione noſtra perantiqua te etiam atque etiam rogo, vt Auguſtæ Celſitudini Principum meo nomine exhibeas, tum Proceribus, atque ijs, quibus exilitas argumenti minus diſplicitura eſſe videbitur. Atque hic meæ, ſi qua nimia apud te vtar, confidentiæ ignoſce. At herclè ne vlli iſthic Lutetia à Clariſſimo Viro Abbate Menagio nuntij? mirū in modum ea res me cruciat, atq; angit; Solebat Redio noſtro ſtato interuallo hebdomadarum aliquid ſubindè exarare? nolim optimum atq; humaniſſimum Virum aduerſa valetudine propediri. Te verò quamardētiſſime obſecro, vt hoc me metu quamprimum

mum liberes. Liberabis autem, ſi quampauciſſimis de valetudine Menagij, & noſtræ editionis ſucceſſu conſtabit. Nos hic cœlo hactenus ſalubri & clementiſſimo vſi ſumus; rari ægri, vacui in noſocomijs lectuli, Medici otioſi ſub porticibus inambulare; tamen poſt calendas Sextilis viſum ingenium graui cœlo redire. Proceribus Aulæ cum intima veneratione ſalutem nuntio; tibi Clariſſime Forzoni magnum eruditæ Italiæ decus incolume æuum, longiſſimumque opto. Vale.

Piſis nonis Sextilis 1668.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO LEGATO.

Bononiam.

TVis ſupremis ſumma humanitate, atquè elegantia exaratis multo ſerius, quam id ego cupiebam, nunc demum reſpondeo. Præcipua verò cauſa hæc officia differendi raritas iſthuc commeantium, & ſuſpecta tabellariorum fides extitère. Munuſcula tui nominis ęternitate digniſſima accepi, cũque ſumma animi voluptate multoties relegi, ſemper ingenij tui acutiſſimi, ac feſtiuiſſimi elegantiam admiratus. Id vnum erubui, quòd nomen meum tali prorſus honore indignum, viris a hijs multo clariſſimis immiſſum aſpexerim; gauiſus tamen fui quòd

me

me ſcriptis tuis ,quæ nulla vnquam obliuio abolebit, in memoria poſterorum vnà tecum ſuperſtitem eſſe voluiſti. Atq; adeo gratias, quas certè maximas debeo, tuæ nunc humanitati habeo, eaſque ſpero aliquando, ſi vita ſuppetit, referre. Marchio Schinchinellius, Redius, Nomius, atque ab ipſa Liguria Aproſius de tua ſingulari doctrina, ac præſtantiſſima virtute perhonorificè loquuntur. Vide quo bono meo fato iis quoquè luminibus Italiæ innotuerim! Aproſius ſua quædam opera Neapoli typis commiſſa huc ſe mihi miſſurum ſcripſit. Tibi verò, Clariſſime Laurenti, quæ ab Hymno Saleſiano edidi, pauca quædam Poematia in mei eximii erga te amoris pignus miſi. Clariſſimo Montalbano egregio Italiæ ornamento cum intima veneratione ſalutem nuntio. Ab hominibus iſtis Belgis miror nihil vnquam ad meas reſponderi, iis tamen meo nomine plurimam à te ſalutem impertiri velim. Salue Laurenti exoriens Italiæ ſydus, meque ama. Vale.

Piſis decimo calendas Septembris 1668.

Cla-

Clariſſimo Viro
D. BASILIO RIGHI
Charthuſiæ Vallis Gratioſæ Priori Digniſſimo.

Florentiam.

HAbes hic, Clariſſime Baſili, ea, quæ à me humaniſſimè optabas, carmina, non iſta fœlicitate numerorum, quæ cultiſſimis iſtis Parnaſſi Oloribus digna ſit, ſed qualis potuit a mei imbecillitate ingenii proficiſci. Agnoſce, obſecro meam iſtam voluntatem; qua tibi ſtudia mea omnia, ſi quid iis prodeſſe poſſim, libentiſſimè offero. Vbi vitio librarii menda irrepſere, ea vt potui in latinis verſibus ſuſtuli. Italica verò, quòd ego aduena eius linguæ notitia exactiſſima non vtor, non attigi. Illius quæſo frumenti, & promiſſæ munificentiæ tuæ memoriam retine, idque perſuaſiſſimũ habeas te nihil vnquam ſanctius, vtiliuſue in Chriſti pauperes erogaturum; hæc enim inops, & ab omni humano præſidio deſtituta mulier extincto nuper coniuge in ſolitudinem atque ęrumnas collapſa cum tribus ſuis filiabus paruulis pro te, ac vniuerſo Ordine Carthuſiano preces quotidie clementiſſimo Numini oblatura eſt. Salue lux magna tui Ordinis, & me tua beneuolentia, vt facis, amanter complectere. Vale.

Piſis nono calendas Septembris 1667.

Illu-

Illuſtriſs. ac Clariſs. Viro
ALEXANDRO MARCHETTI.

Notar.

PRidie calendas Septembris litteras tuas multo iucundiſſimas accepi, quibus ruri tui delicias, & liberi Patris floreni ſuauiſſimum adiungis. Sentio herclè & nimiæ humanitatis tuæ, & munificentiæ exceſſu me planè obrui. Nihil enim magis in votis habui, quàm vt mea tenuitas aliquid eiuſmodi in politioribus litteris præſtaret, quod ipſis Italiæ litteratis, tuique ſimilibus præſtantiſſimis Viris haud omnino diſpliceret. Nihil vltrà auſus fui, meæ nimirum imbecillitatis conſcius, a quoquam mortalium ſperare. Dum tua enim præclariſſima ingenii monumenta, quæ apud omnem certè poſteritatem manſura ſunt, ſubindè celebraui, id eo conſilio feci, vt primùm tibi de eximia mea erga te obſeruantia, ac ſingulari amore conſtaret; tum vt eam laudem, quam a me ipſo non poſſim, a te ſaltem, tuiſque immortalibus ſcriptis conſequerer. At quid tibi, tuæque tam munificæ humanitati repono? gratias, quas quidem poſſim, maximas, amorem inſuper cum eximio cultu, animũque tuæ ſummæ, ac præſtantiſſimæ virtuti, & laudi, quam iam tibi æternam peperiſti, addictiſſimum. Quæ hic nuper luſimus, & ſi ea tanti non ſint, neque digna legi, tamen in obſequii quoddam mei pignus hic addidi. Salue Marchetti maximum decus Italię

Va-

vale.

Piſis pridie calendas Septembris 1668.

Clariſſimo Viro
LAVRENTIO ADRIANIO.

Lucam.

BInas elegantiſſimè exaratas accepi. Libellum eo veſpere, quo miſiſti, totum perlegi. Boni Cœlites, in quas nugas abſumitur labor! quàm omnia frigidè, & ſi Latium ſpectes, barbarè circumducta! at placent? iis quos neque vicini colles pro eruditis agnouere, adeo dulce eſt hominibus circa ſuos inſanire. Numeros ipſe languor deiicit, nec fucata barbaries ſtare ſinit. huc tandem recidit, quæ tantopere ab Hetruſco ſermone quæritur elegantia, atque egregia cogitationum nobilitas? laudent qui velint; ego certè ad tale frigus nunquam accendar. Simus certè ab iſta, quam vocant, feſtiuitate conceptuum remotiſſimi, dum ſic quoquè nobis ſeculi Romani elegantiam referre, & paucioribus placere contingit. Quod corpore bene affecto, & ſecunda te vti valetudine ſcribis, id mihi tam gratum quàm quod gratiſſimum accidit. Id vnum tibi ſeriò enitendum, vt quies, ac tranquillitas animi abiecta omni cogitatione curarũ omnino conſtet. Quod te certè facturum puto, ſi te ipſum in primis, tum domeſticos,

ac eam expectationem, quam de tua virtute, ac ſingulari doctrina omnes propè Italiæ litterati concepere, reſpicis. Nullas adhuc litteras aut Lutetia, Auguſta Taurinorũ aut Florentia accepi. Profectionem Florentinam in totum hunc menſem abieci, idem fortè inſequenti Octobre facturus. Præter incommoda, itineris ferendi ſumptus, ad gratuita hoſpitia ſi declinem, mea me quiete, ac libertate ſpolio, neq; vnquam potui ad cultus iſtos anxiè ſimulandos, feſtina colloquia, nutus hilares, aut ſubmiſſiones vllas me componere. At vnum ex his omitte? iam indole ruſticana & agreſti cenſemur. Anus monolca pietatis cauſa iſthuc concedit. Parentibus tuis, ſorori, Ioſaphato ſalutem. Vale.

Piſis pridie idus Septembris 1668.

Eruditiſſimo D.
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Laurentius Legatus
Bene eſſe.

Piſas.

IN Vrbem reuerſo, vnde aliquot abfui dies, iucundiſſimæ tuæ delatæ ſunt vnà cum reliquis tuis Poematijs, mi lectiſſime Adriane. Vtraque humanitati tuæ accepta refero. Hæc cum cæteris tuis lucubratio-

tionibus enumerata ſunt in Athenæo Poetarum; illas inter pretioſiora, immo pretiū muſeoli mei habeo. Iconem tibi tuam tranſmitto ligno inciſam. Libentius æri commiſiſſem, ſi vnam, aut alteram adducturus eſſem, ſed multa centena paro, nec vires animo æra cogitanti reſpondent. Magno, & magnanimo aliquo Mæcenate opus foret; at nec ego tanti ſum, qui Mæcænatem merear, & illi rari admodum. Vt vt ſit durabo. Belgę iſti ſalutem tibi plurimam dicūt, quod & Montalbanus. Tu interim, vt ſoles me ama. Vale.

Tuus ex aſse, qui ſuprà.

Bononiæ octauo calendas Octobris 1668.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
ALEXANDRO MARCHETTI
Philoſophiæ, ac Matheſeos Interpreti præſtātiſſ.

Emperium.

Octauo calēdas Octobris a meridie ſole in occaſum vergente cum fortè in nundinis Piſanis animi cauſa deambularem, tuæ mihi optatiſſimæ litterę redditæ fuerūt. Quòd conatus meos, quibus ſubinde aliquid in Sanctiſſimorum Cælitum laudes molimur, pro tua humanitate probes, vt id iudicio tuo pręſtantiſſimo aſcribere non poſſum ita totum eximio tuo erga me amori attribuo, quo me ſentio tamquam ſtimulo quodam

dam ſuauiſſimo excitari, vt is aliquando euadam, qualem me eſſe humaniſſimè prædicas. Saliuam mihi mouiſti dum iſtius litterati Sympoſij memoriã iniecisti. Viſus fui ipſis epulis vna accumbere, feſtina colloquia inter veſcendum excipere; ſubindè ad argutias, ſales, leporeſque elegantiſſimos ridere; immo totam conuiuij imaginem ceu præſens agnoſco. Gratias porrò immortales habeo, quòd meam iſthic valetudinẽ litteratiſſimi conuiuæ ad circumlatos calices mihi propitiam exoptarint. Vtinam te in primis, tum cæteros conuiuas meo complexu poſſim iſthic hoſpes conſtringere! quod omnino cupio, & ſi qua dabitur occaſio effecturus ſum. Vale.

Piſis ſexto calendas Octobris 1668.

Viro Clariſſimo

PETRO ADRIANO VANDEM BROECKE

Franciſcus Redi.

Piſas.

Minimè mirum eſt me nihil ad te ſcripſiſſe; nam tacente Menagio quid ſcriberem non habebam. At nunc acceptis è Gallia litteris velim vt ſcias Clariſſimum illum Virum prompto animo tuis (hoc verbo vtar) obſtetricare carminibus. Cæterùm Eruditiſſimus Eques Ceſſius vtriuſq; noſtrum

aman-

amantiſſimus, mearum experientiarum exemplaria tibi reddet, quorum vnum & tu meo nomine Laurentio Adrianio noſtro reddes. Vale Vir Clariſſime, Vir maxime, meque vt ex animo amas, ama. raptim.

Florentiæ quarto calendas Octobris 1668.

Illuſtriſs. ac Clariſs. Viro
FRANCISCO REDI.

Florentiam.

CVm iam longo dolore cruciarer, quòd nihil litterarum a clariſſimo Menagio iſthuc mitteretur, atq; adeo de præſtantiſſimi viri valetudine, ac ſupremo eius deceſſu eſſem mirificè anxius, taciteque iacturam, quam in tanto viro vniuerſa Europa pateretur, meo quoque mœrore lugendam quaſi putarem; ecce inopinato tue litteræ elegãtiſſimo ſtyli candore exaratæ omnem iſtum animi mœrorem ſubitò diſpulere. Gaudeo ſanè, ac toto prorſus animo gaudeo, hunc virum ſuæ Galliæ, ac toti Europæ incolumẽ ſua demum recuperata valetudine bono publico litterarum æternis monumentis magis ac magis in dies profuturum. Quòd verò addis animo prompto ac libenti meæ iſthic Poematiorum impreſſioni ſuam operam ac ſedulitatem impertiri, id eiuſmodi eſt, vt nullis omnino verbis queam quæ iam concepi gaudia voluptatis exprimere. Nunc

verò

verò ad tuum iſtud munus omni æternitate digniſſimum redeo, quod ſanè opus ſua perſpicuitate nobile detectis tandem naturæ latebris & curioſum ſimul & admirabile ſuos aliquando oculos veræ Philoſophiæ aperuit; neque alia affert, quàm quæ ipſis cognoſcenda oculis adhibita experiēdi ope ipſa comprobatura ſit poſteritas. Ergo quot hic tibi nominibus gratias habebo? eas certè cùm referre non poſſim, me perpetuò tibi cum ſumma cultus, ac obſeruantiæ meæ ſignificatione debiturum nuntio. Si quid deinceps iſthuc à Menagio de impreſſione noſtra perſcribatur, te quàm poſſum ardentiſſimè rogo, vt id primo quoque tempore ſciam. Adriano noſtro, qui Lucam ſeceſſit, ſuum exemplar miſſurus ſum. Salue clariſſimum decus Italiæ, ac vnice ſanctioris Philoſophiæ reſtaurator Redi, meq; quo ſoles amore ac patrocinio proſequere. Vale

Piſis pridie nonas Octobris 1668.

Clariſſimo Viro

PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

GRaui, ac moleſta deſtillatione capitis impeditus hæc ipſa officia multo, quā vellem, ſerius exoluo. At herclè ſi quæ vnquam litteræ tuę mihi iucundiſſimæ ac gratiſſimæ in manus peruenere, hæ ſupremæ

mæ fuerunt. Gratulor tibi, ò Clariſſime Forzoni, at ex animo gratulor, quòd tuæ memor poſteritatis, dum id quoquè æui tui vigor, florida ac robuſta iuuentus perſuaderent, honeſtiſſimam virginem tibi ante conſanguinitate coniunctam nunc & arctiori & ſanctiori vinculo nuptiarum ſuauiſſimam coniugem adlegeris,

Omnes quæ tecum rebus fœlicibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

idque vt in longiſſimæ ætatis æuum contingat, a Deo Optimo Maximo omnibus meis votis ardentiſſimè flagito; iamque vates tibi præſtantiſſimo vati luſum aliquem nuptialem (quid enim tenuitas mea aliud poſſit?) ex animo ſpondeo, ſcioque vel ipſos conatus tuæ eximiæ humanitati gratos fore. Iam a binis ferè mẽſibus a Redio noſtro Viro Clariſſimo litteras habui, quibus ille perhumaniter Menagij Viri cultiſſimi obſequiũ in maturanda editione ſignificauit; at ſubinde vereor, ne id, quod poſteà conſequutum eſt Clariſſimi Viri ſilentium ſit valetudinis parum confirmatæ indicium. Sed clementiſſimi Cœlites æuum huic inclyto & præſtantiſſimo vindici litterarum in multos adhuc annos prorogent. Nos hic Hymnum Sacræ Virgini Beatæ ex America Roſæ ad calcem perduximus; Clementi Nono Pontifici Maximo inſcripſimus, ſed niſi tuo ante iudicio probaris, typis non ſubiiciam. Plura coram; nam hìc quotidie cum Sereniſſima Aula Tyrrhena expectamini. Me in-

terim tui amantiſſimum & eruditæ lux Hetruriæ Forzoni, amare & tueri perge. Vale.

Piſis quinto idus Decembris 1668.

Expertiſſimo Viro

IOANNI KERCHOVIO

Ciui meo Tenaramondenſi.

Labeonem.

STatim à diſceſſu meo Labeonenſe tuas mihi gratiſſimas accepi vnà cum Romanis litteris Caudronij, quas exiſtimo idem argumentum, quod ad te ſcriptum eſt, continere. Scripſit Spanochius quoquè propinquus meus de aduerſa valetudine ſua, & de mora, qua apud Romanos ver opperitur. Sed nunc ad te, ſuauiſſime meorum Ciuium Kerchoui, totus redeo. Galliæ noſtræ Belgicæ vaſtitatem, & direptiones, quæ inter arma conſequutæ fuerunt, communi tecum mærore lugere non ceſſo. At ſi ita Supremo Numini viſum, a cuius manu Regna omnia, quies omnis, & tranquillitas populi dependet; calamitates omnes, quæ diuinitùs immittuntur, forti ac conſtanti animo ferendę ſunt. Atvrges & propius ipſius Patriæ, Tenaramondæ inquam noſtræ ocelli Flandriarum ærumnas attingis, ſuburbia, & pomeria, quorum olim aſpectu puer mirificè delectabar, nunc hoſtili incendio deflagraſſe; ipſos verò Ciues noſtros chariſſimos

aut cùm vrbs obſideretur, plurimos pro Patria mortem oppetijſſe, aut poſt depulſo exercitu Gallorum, alijs atque alijs morbis vexatos naturæ conceſſiſſe. Tum tua domeſtica funera, primùm in ſuauiſſima ſorore, ac fratre tuo amantiſſimo, & patruo tuo viro optimo, ac integerrimo Ciue, ſummo cum mærore; & digniſſimo luctu proſequeris; tum patruelem meum Debbauttium publicæ Ciuium valetudini tuendę præfectum vix fatali morbo eluctatum fuiſſe nuntias. Ingemui profectò ad tot meorum Ciuium interitus, & in tuo quoq; priuato mœrore plurimum dolui. Sed ſi oculos Cœlo attollimus, ſi noſtræ humanitatis conſcij, ſi quę populationes, excidia, publicæ ac priuatę calamitates a bello dimanent, taciti cum animo noſtro exigamus, procul dubio dolor omnis, atque luctus mitigabitur. Ea enim lege omnes naſcimur, vt hinc ſemel, quamquam id cum ſummo gemitu, ſummoque coniunctiſſimi ſanguinis mœrore futurum ſit, deſtructis in cadauer artubus diſcedamus. Neque profectò, cùm chariſſimis noſtris propinquis mori contingit, aliquid præter naturæ decreta accidit. Immo illi ipſi fœliciſſimi ſunt, qui iam hoc vinculo mortalitatis exuti vitam nouam, quæ nulli amplius morti ſit obnoxia, in Cœleſti domicilio perpetua fruituri quiete auſpicantur. Sed cui ego hæc? Tu, mi ſuauiſſime Amicorum, melius hæc tibi ipſi ſolatia adhibebis. Te verò etiam atque etiam rogo,

vt

vt prolixioris ſilentij mei cauſas occupationibus meis quotidianis humaniter attribuas. His natalitijs diebus, quos tibi fauſtiſſimos expoto, vnà cum honeſtiſſimo viro, tuoque amantiſſimo ſodali Argentario, te hoſpitem optatiſſimum in ædibus meis Piſanis expecto. Vale.

Piſis decimo ſeptimo calendas Januarij 1668

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
D. STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

SVmmas in primis tuæ raræ humanitati, ac optimæ erga me propenſioni gratias habeo, quòd Eminentiſſimo Chiſio, Ilcioque litteras meas cum Hymno Saleſiano dediſti; idque mihi amantiſſimis litteris es teſtatus, tuumque erga me amorem, atque beneuolentiam perpetuam eſſe oſtēdis. Vtinam ego talis ſim, Illuſtriſſime, ac integerrime Gradi, qui meam quoquè operam poſſim in aliqua re tibi grata oſtendere; certè id toto animo, miro amore, ſumma voluntate, diligentia, ac labore libentiſſimè pręſtarem. Sed cùm fortuna mea eiuſmodi ſit, vt nihil omnino, quo tibi obſequar, præſtare poſſim, id tamen meo in te amore conſtantiſſimo, cultu perpetuo, teſtandique grati animi officio compenſabo. Has verò cum Panegyrico litteras Chiſio atq; Ilcio

Cardinalibus meo vt exhibeas nomine pro tua ſolita & iam vetere in me beneuolentia enixè oro. Binos tibi minores Hymnos cũ Panegyrico adnexi. Hymnum alium Beatę Roſæ Virginis Americanæ quadringentis penè verſibus contexui, Velimque Clementi Nono Sanctiſſimo Principi nuncupare, eo præſertim titulo, quòd Sua Sanctitas hanc ſacram nouæ Indiæ Virginem Beatis Virginibus aſcripſit; Sed nulla mei in hac noua ſacratiſſima Aula cognitio. Audebonè ſinè nimiæ confidentiæ nota me ſic hominẽ nouum, & fortè ignotum Sanctiſſimo Pontifici obijcere? quæſo hìc ſeriò me iam perueterem clientem tuum mone, quicquid cenſebis omnino ſequuturum. Tùm id quoquè quamardentiſſimè rogo, vt me Flauio Principi Chiſio tamquam hominem ſancta & perpetua memoria conſeruaturum beneficia, quæ a Sanctiſſimo Patruo ſuo Alexandro Septimo, & ab ſua generoſitate accepi, ſeriò commendes. At tu, Illuſtriſſime Gradi, ſi hic nimius ſum, & paulò apud te confidentior, caſto huic meo affectui, & Belgico candori ignoſce. Ita enim ſcribo, ceu tibi iſthic cum nuda & aperta bonæ mentis imagine totus vultu, oculis, fronte, ſono vocis amœno & obſequioſo coram aſtarem; tibique in primis hos Chriſti Optimi Maximi natales dies, cum nouo, qui cõſequitur, anno omni fœlicitate refertiſſimo, fauſtiſſimos opto, meiſque a Summo Numine precibus efflagito, vt tibi ad annos longè

gè plurimos recurrant. Vale.

Piſis decimo quinto calendas Ianuarij 1668.

Eminentiſſimo Principi
FLAVIO CARDINALI CHISIO
Alexandri VII. glorioſæ memoriæ
ex Fratre Nepoti.

Romam.

GAuiſus ſummoperè fui, Princeps Chiſi, ea iterum tempora illuxiſſe, quibus ea clientibus facultas conceditur, vt ſinè metu moleſtę interpellationis prono demiſſionis ſuæ obſequio Patronos ſuos maximos venerentur, iiſque præcipuè ea omnia augurentur, quę à Clementiſſimo Numine primis Reipublicę Chriſtianę cuſtodibus optari queant. Proindè quæ ſuperiore anno priuati mæroris mei officio, humillimo obſequio litterarum, quamque Orbis Chriſtianus iacturam in Sanctiſſimo Patruo tuo Alexandro VII. glorioſæ memoriæ Pontifice Optimo Maximo feciſſet, teſtatus fui, meque illius memoriam persãctè animo meo, tuamque in primis, Princeps Chiſi, humanitatem, qua me toties dignatione litterarũ, & aureo Sanctiſſimi Patrui Numiſmate proſequutus fuiſti, ſempiterna gratæ mentis recordatione ipſis quoquè poſteris teſtaturum pollicebar; ea nunc omnia iterum, ſed ex intimo penitus ſenſu, cum ſumma, qua par

eſt, animi demiſſione aſcribo, voueoque conceptis ad Deũ precibus, vt tibi optimo, integerrimoque Principi hi Sacratiſſimi dies natales cum anno inſequenti, multiſq; alijs poſteà conſequuturis, fœliciſſimi eueniant. Vt meum verò inſtitutum ſeruem, & quem debeo ſummæ Amplitudini tuæ honorem, munuſculum ingenii mei, Panegyricum dico Marchioni Coppolo, cùm ad Regem Hiſpaniarum iret, inſcriptum mitto; ardentiſſimèque oro, vt ſubinde clientis tui Belgæ, qui Principibus Chiſiis ſe totum debet, colitque vnicè, meminiſſe non pigeat. Vale.

Piſis decimo quinto calendas Ianuarij 1668.

Eminentiſſ. ac Reuerendiſſ. D. D.
SCIPIONI CARDINALI ILCIO.

Romam.

VT ante ſummo animi dolore torquebar, dum hyeme ſuperiore tua Eminentia valetudine aduerſa laboraret, ita nunc actis Summo Numini gratiis mirificè gaudeo quòd valetudini tuæ priſtinæ reſtitutus adhuc diu ſapientia tua incredibili, grauitate, conſilio, ipſo denique integritatis exemplo rebus humanis profuturus ſis; neque deſiſtã deinceps clementiſſimos Cælites pro tua longa incolumitate deprecari. Hoſce verò optatiſſimos dies natales cum nouo inſequẽte anno ſacræ Amplitudini tuæ fœliciſſimos

opto,

opto, ſperoque omnino, vt ijdem tibi ad longam adhuc annorum ſeriem fauſtiſſimi ſemper recurrant. Tum vt hæc ipſa inanitas litterarum paulò gratior in manus Amplitudinis tuæ perueniret, lucubratiunculā meam, ideſt Panegyricum Marchioni Coppolo, cùm pro Sereniſſimo Magno Duce ad Catholicum Regem proficiſceretur, nuper dedicatum adduxi. Breui aſpirantibus Diuis Hymnum Beatæ Roſæ Virgini Americanæ multis verſibus contextum daturus ſum. in hoc verò Panegyrico animi quæſo mei conatus, ſi res ipſa deſit, pro ipſa re indulgenter admitte, tuoque clienti Belgæ, qui Domui Ilciæ dediciſſimus viuit, patrocinij tui decus libens impertire. Vale.

Piſis quinto decimo calēdas Ianuarias 1668.

Eminentiſſ. ac Reuerendiſſ. D.
D. CÆSARI CARDINALI RASPONO
Ducatus Vrbini Legato a Latere.

Romam.

HOs ipſos feſtos dies multo ſanè cupidius, quàm vnquam antea expectaui, quod ſummoperè dubitarem an eæ litterę quas anno ſuperiore cum Hymno Saleſiano Vrbinum miſi, in manus Eminentiæ tuæ peruenerint, atque adeo videri poſſim officij curam abieciſſe. Quæ me certè res valdè torſit, & nunc eò aſcripſi, vt ſacræ Amplitu-

tudini tuæ propius de mei in te cultus obſeruantia, meoque perpetuo amore planius conſtaret; nam nulla mihi res vnquam antiquior, aut ſanctior fuit, quàm ipſius in primis amoris, cultus, & officij erga Patronos retinendi alacritas. Hoc igitur, vti ſpero, iam metu liberatus, quæ nunc imminent Chriſti Optimi Maximi incunabula, ea in primis Amplitudini tuæ cum anno ad noua ſe initia conuoluente multo fauſtiſſima opto; atque ex intimo corde, ſummis ardentiſſimiſq; precibus Diuinam Clementiam aſſiduè oro, vt tibi, integerrime Raſpone, ingens Romanæ Purpuræ decus ac gloria, ad multos & multos adhuc annos ob res humanas iuuandas incolumitas vitæ prorogetur. Quem nuper Panegyricum Marchioni Coppolo nuncupaui, in amoris in te mei, ac perpetuæ obſeruantiæ pignus cum prona venerandi demiſſione hîc dono mitto, & me in dono tuos quidem inter clientes virtute minimum, ſed nemini certè ſeu cultu ſeu amore in te ſecundū. Vale.

Piſis quinto decimo calendas Ianuarij 1668.

Clariſſimo Viro

FEDERICO NOMIO.

Aretium.

O Noctem omni luce clariorem, quam cum Redio noſtro omnium Gratiarū ac Venerum miſtam, inter ſales, lepores, &

de omni vetere ſapientia ſermones cum ſumma & incredibili, vt ego quidem exiſtimo, voluptate exegiſti! At me miſerum! qui Labeone, quò animi cauſa conceſſerā, tu i ſthuc aduentus inſcius tum ad Tyrrhenum pelagus inambularem! vtinam relicto Labeone me recta iſthuc ad vos cōtuliſſem, vel aures ſaltem eruditæ voluptatis fructu, ipſoſque oculos veſtro in primis, quos in hac Italia habeo chariſſimos, aſpectu expleſſem. At boni Superi! quis tuus in me amor, aut ſummæ beneuolentiæ exceſſus! qui de mea tenuitate tam præclarè ſentis. In Diui Donati Hymno Oden tuam præclariſſimam ſequutus fui, quod in epiſtola nūcupatoria ad Redium teſtaturus fui, niſi Hymnus in Galliam miſſus eſſet, vt illic vnà cum alijs Poematijs meis imprimeretur. Nunc bina tibi exemplaria Hymnorum tenuia, & perexigua mitto; Bina Illuſtriſſimo Antiſtiti Saluiato, ea vt meo nomine, optimo ſanctiſſimoque Viro exhibeas te etiam atq; etiam quamuehementiſſimè rogo. Ortum Summi Numinis cum anno, qui ad noua exordia conuoluitur, tibi multo fœliciſſimū opto; totoque animo auguror, vt ad annos longè plurimos cum debito ſummis virtutibus incremento tua tibi incolumis valetudo conſtet. Salue mi cultiſſime Federice, & me ama tui peramantem. Vale.

Piſis decimo calendas Ianuarij 1668.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.
D. THOMÆ SALVIATO
Epiſcopo Aretino, & Principi.
Aretium.

ETſi iam ante animo alacri mea ſtudia pene omnia eò conferrem, ut Sanctis Cœlitibus Hymnos aliquos latinis numeris dedicarem, tamen vt ſupremas tuas litteras, amoris, beneuolentiæ, ſummæ humanitatis, & ſancti erga me ſtudij pleniſſimas accepi, vix verbis, Illuſtriſſime ac integerrime Antiſtes Saluiate, poſſim exprimere, quàm me ſtatim noua alacritate, ac mira quadam, maiorique cupiditate ſenſerim ad proſequenda eiuſmodi ſtudia excitari, ac toto penitus animo inflammari! Quid ni ita accenderer? cùm tibi præſertim, cui vel innotuiſſe ſummi muneris loco ſemper duxi, iſti conatus mei pertenues, non iudicio quidē, ſed certè ex amore quodam mirifico, atque optima in probos homines beneuolentia, tam amanti & benigno elogio, quod meæ imbecillitati attribuis, probentur, immo & vberrima gratulatione commēdentur. Itaq; pio ſimul & animoſo calore aliorum Cœlitum laudibus aliqua, ut ingenij infirmitas mei tulit, elucubraui, quorum partem in Hymnis decem millium Martyrum, & Beatæ Claræ de Gambacurtis Amplitudini tuæ in pignus demiſſæ venerationis in te meæ, ac candidiſſimi amoris, cultuſq; obſequium mitto. Diui quoque Donati iſtius loci Epi-

ſcopi, & Martyris memoriam Hymno comprehendi, quæ nunc cum alijs Poematijs meis Lutetiæ Pariſiorum, vti ſpero, typis imprimitur. Beatæ Roſæ Virginis ſacræ in America Hymnum quadringentis penè verſibus ad calcem perduxi, Sanctiſſimoque Pontifici Clementi Nono [illegible]ſcripſi. Tum hymnum Beatæ ciui tuæ Florentinæ Mariæ Magdalenæ de Pactijs molior. Quæ vbi, ipſis Superis meam imbecillitatē iuuantibus, impreſſa vulgauero, inter primos tibi, ò lux Antiſtitum, & tuæ Hetruriæ amor, perferenda curabo. Hæc nunc pauca grato animo accipe, & mei quoquè in ſanctiſſimis tuis ad Aram precibus (oh donum mihi omnium munerum gratiſſimum, & maximum!) recordare. Ego interim pro tua longiſſima incolumitate Chriſtum Optimum Maximū ardentiſſimè orabo; atque vna naſcentis Domini incunabula cum nouo, qui exoritur anno, tibi multo fœliciſſima opto. Vale.

Piſis decimo calendas Ianuarij 1668.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.
D. STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

COmmodùm accidit, Illuſtriſſime Gradi, vt hæc ſeſe hominis illhuc proficiſcentis opportunitas offerret; nam binos ad te Hymnos, cùm faſciculus exemplarium

ligaretur, neſcio qua properatione oblitus vnà includere prætermiſi. Eos itaque, &ſi aliquanto ſerius, hìc habes, ac pro tua eximia humanitate incogitantiæ meæ vt ignoſcas te valdè rogo; atque vnà ſummis meis precibus a tua ſingulari benignitate peto, vt hunc hominem Belgam, vt mihi quidem videtur, virum ſanè optimum ac integerrimum, qui iſthuc pietatis cauſa concedit, tuo in primis affatu, & ſi id quoq; tibi videbitur, patrocinio digneris; ducit vnà filium ingenuæ, & honeſtiſſimæ frontis puerum, quem optaret in typographica officina Fidei propagandæ collocare, vt iſtius artis, cuius iam elementa libauit, notitia probè inſtituatur. Si id verò aut opera, aut gratia, quaque plurimum vales authoritate perfici poteſt, hoc me nouo beneficio tibi, &ſi iam ante deuinctiſſimus ſim, deuinctiorem quodammodo reddes. Ita tamen id peto, ideſt ſi locus vacat, ſi ætas pueri idonea ſit, & ſi id commodè a te fieri poſſit. Atque hic nimiæ fortaſſis confidentiæ pro tua vetere in me beneuolentia ignoſce. Salue Vrbis Romæ & Italiæ clariſſimum decus Gradi, bonorum omnium fautor, ac patrone, & quamdiutiſſimè ad æuum Neſtoris æuo incolumi fruare. Vale.

Piſis poſtridie calendas Ianuarias 1668.

Perilluſtri Domino, Domino
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKIO.

Piſas.

PErilluſtris Domine. Accepi litteras tuas mihi ſummopere gratas vnà cum elegantiſſimo Poemate ſuper Marchionis Coppoli expeditionem ad Regem Hiſpaniarum; & ſicuti in hoc acerrima ingenii tui vis apparet, ità in aſſidua mei memoria, quam ſeruas, beneuolentiæ tuæ fructus elucet, in his præcipuè diebus feſtis natalitiis, quos peramanter mihi auguratus es. De omnibus gratias ago, & à Deo omnem tibi precor fœlicitatem.

Romæ quinta Ianuar. 1669.

Dominationis tuæ amantiſsimus
Flauius Cardinalis Chiſius.

Cæſar Cardinalis Raſponus

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Piſas.

CVm Marchione Coppolo, totaque eius Domo vetus mihi eſt, & vſque à maioribus meis inſtituta, mutuiſque officiis culta neceſſitudo, qua ego mirificè delector, & glorior; nec temerè quicquam accidere iucundius auribus meis poteſt, quàm cùm eo-

eorum celebrari nomen, & prędicari laudes audio. Hinc exiſtimare potes, Vir optime, quàm gratum acceptumque mihi fuerit munus carminum tuorum, quibus hoc argumentum doctè, argutè, ac eleganter exequeris. Quamobrem non ſolùm munere ipſo, ſed etiam opera, ac labore in eo perficiendo & exornando à te collocatis eximiè deuinxiſti animum meum, eoque nomine ſummam a me deberi humanitati tuæ gratiam ſcito; nec verò minorem amantiſſimæ ſignificationi tuæ erga me voluntatis cum occaſione dierum Chriſti Domini Natali ſacrorum fauſta mihi omnia, & tuo erga me animo conuenientia auguraris, & optas.

Epiſtolæ tuæ anno ſuperiore ad me datæ, ſi rectè memini, non prætermiſi reſpondere; nec video qui factum ſit vt litteræ ad te non perferrentur, quo certè caſu nihil de officio, quo me colere voluiſti deperiſſe tibi perſuade; meque ad omnia, quæ tibi opus erunt, paratum exiſtima.

Romæ octauo calendas Februarij 1669.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro D.
D. ÆGIDIO ABBATI MENAGIO.

Lutetiam Pariſiorum.

EGi Deo Optimo Maximo grates, quòd hoc meo officio litterarum multis tibi

poſ-

poſſim nominibus, Vir Clariſſime Menagi, gratulari de tua in primis valetudine, vti ſpero, planè confirmata, de proſpero in natale ſolum ſeceſſu, ac fœliciſſimo ad Vrbem Lutetiam reditu, deque ipſa Italicæ linguæ originis editione. Gratulor herclè, at ex animo intimiſque ſenſibus hunc tibi honorem, quo nominis tui æternitatem omnino apud omnes poſteros confirmaſti, iterū atque iterum gratulor; eoque nomine Redio noſtro grates habui, quod is, cùm me ſciret tuo nomini, atque eximiæ virtuti planè addictum, noluerit hanc me nouam acceſſionem gloriæ ad alia tua præclariſſima monumenta latere. Summo profectò iure idem decus, quòd magno olim Varroni exhibuere Romani, tibi nunc omnes deferant potius quàm debeant Itali. Id verò certè a me homine ab omni aſſentatione alieniſſimo crede, inclyti tui nominis memoriam cum ſumma veneratione ac laude ab erudi-tiſſimo quoque Italorum vſurpari. Tum id etiam ſummopere gauiſus fui, quòd idem Redius adiecit fore, vt primo quoq; tempore mea iſthic Poematia prælo ſubdantur. Quam ego rem Amplitudini tuæ poſtquam me amicis tuis inſertum eſſe voluiſti, ita commendo, vt nihil in omni vita poſſim reperire, quòd charius optatiuſque tuæ ſummæ benignitati commendem. Tum id &ſi poſtremo loco, tamen te quamvehementiſſimè oro, ut id pati nolis, ut tot iam menſium exacto interuallo nullum omnino reſponſio-

nis

nis tuæ apicem viderim, ac proinde ignarus maneam quid veſtri iſthic librarij conſti-tuerint. Vale Vir maxime.

Piſis poſtridie idus Februarias 1669.

Expertiſſimo Viro Domino
IOANNI KERCHOVIO
Ciui, meo Tenaramondenſi.

Labeonem.

OCcupationibus meis pro tua humanitate id concedes, aut omnino ignoſces quòd elegantibus tuis litteris multo, quàm vellem ipſe, ſerius reſpondeam. Cùm verò hoc iam martio ineunte iter Romanum ſuſcipi poſſit, aduerſaria teſtimonij, quod tibi nuper me exaraturum promiſi, hic habes; meumq; vnà erga te amorem & cupiditatem maximam tibi obſequendi libens agnoſce. Spero fore, vt ante profectionem Romanam nos inuicem videamus. Pictori Gerardo, ſi iſthic eſt, meo nomine plurimã ſalutem impertire. Cogitationem conficiẽdæ imaginis meæ multis de cauſis abieci, quòd ea res a me ſtudioſè procurata videretur, atque adeo tacitæ cuiuſdam ambitionis labe, aut ſaltem vanitatis nota traduci poſſim, cùm iam mea effigies Bonouiẽſis, & ſi deterior, alieno ſit volumini inſerta. Argentario quoquè ſalutem, fauſtos amores, & ſecundos nuptiarum euentus augura-

mur. Tu quo me ſoles amore æternùm ama. Vale.

Piſis quinto calendas Martias 1669.

Illuſtriſs. ac Generoſiſs. Iuveni
ATTILIO ARNOLPHINIO.

Labeonem.

BEatæ Roſæ Virginis Americanæ exemplaria in vno ſimul faſciculo colligata hic habes; ea verò tuæ eximiæ humanitati etiam atque etiam commendo, vt ſalua & integra Romæ a delecto quodam è famulis tuis ad Abbatem Gradium perferantur. Quod te & tua in primis benignitate,& mea quoquè cauſa, qui te vnicè colo atque obſeruo, libentiſſimè facturum eſſe confido. Iam triremis Ianuenſis ad Vici Regij littus primo quoquè tempore appellet. Non ceſſabo, Generoſiſſime Attili, flos Patriæ & Tyrrhenæ nobilitatis, tibi omnes Cælites propitios augurari; vt ſpirante a puppi vēto placido, & tranquillo mari cum vniuerſo nobiliſſimo comitatu centum cellas, aut ipſa oſtia Tyberina attingas, tū ſecūdo reditu poſt præſtitam Sanctiſſimi Pontificis Maieſtati fidem ſoſpes tuorū complexibus reddare. Hæc ſumma mei voti eſt; meque tuo nomini, ac creſcenti gloriꝗ planè addictum quo ſoles patrocinio libēs cōplectere. Vale,

Piſis decimo quarto calendas Aprilis 1669.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.
D. STEPHANO ABBATI GRADIO.

Rcma m.

ANimo quidem alacri & libenti, ſi vnquam ad quemquam mortalium, ad te in primis, Illuſtriſſime ac humaniſſime Gradi, litteras exaro; ſed neſcio quo ſanè pacto eueniat, vt eiuſmodi ferè ſcriptionis argumenta obtingant, quæ & tibi fortaſsè onus, mihi certè ruborem non ſinè nimiæ confidentiæ metu afferant. Quicquid id eſt, veteri tuæ, ac iam ſæpius ſpectatæ humanitati confiſus, quem nuper de Beata Roſa Virgine Americana Hymnum promiſi, in cultus erga te mei obſeruantiæque pignus mitto, vnàque meis a te precibus enixè peto, vt hæc ipſa exemplaria Sanctiſſimo inprimis Pontifici Clementi Nono, ipſique humaniſſimo Principi Cardinali Roſpiglioſio, meo digneris nomine exhibere, idemq; a te obſequium Flauio Principi Chiſio, & Raſpono Cardinalibus, ac Reuerendiſſimo Patri Io: Baptiſtæ de Marinis totius Ordinis Dominicani Magiſtro Generali præſtari velim. Non auſus fui priuato litterarum obſequio Summi Pôtificis maieſtatem reuereri; litteras tamen optimo Principi Cardinali Roſpiglioſio exaraui; eas queſo ſummæ demiſſionis meæ, ac intimi cultus nomine exhibeas oro, meque tuæ præſtantiſſimæ virtuti ac gloriæ addictiſſimum quo ſoles amore ac patrocinio tuendum ſuſcipe. Vale

Piſis quarto decimo calendas Aprilis 1669.

Eminentiſſimo Principi
IACOBO CARDINALI ROSPIGLIOSIO
SS. D. N. Papæ Clementis IX. ex Fratre Nepoti.
Romam.

IGnoſce, Eminentiſſime Princeps, huic ignotæ manui, & mihi homini in Italia aduenæ, & peregrino, qui me ſic audeam tuæ ſummæ Amplitudini obijcere. Temeritas mea, ſi qua eſt, a nulla ambitione, ſed a ſolo candore Belgico, & pia quadam, qua tibi propius innoteſcam, cupiditate, proficiſcitur. Plurimum ſummis virtutibus tuis a Rege Chriſtianiſſimo, plurimum ab vniuerſa Gallia Belgica, cui Apoſtolici muneris ſumma poteſtate nuper præfuiſti, acceſſit. Sileo totius Europæ tacitum amorē, quo te vt alteram Sāctiſſimi Patrui tui imaginem rerum humanarum præſidio diu: nitùs datam prono omnes obſequio, obſeruantiaque ſingulari diligunt, non eo tamen affectu, qui a ſummæ fortunæ opibus, aut decore proficiſcatur, ſed commune quadā ac coniuncta mortalium voluntate; poſtquā ij iam nō amplius ſperent Reipublicę Chriſtianæ commoda affutura, ſed ea videant, lætenturque aduerſus hoſtium Barbarorum immanitatem adeſſe. Iis ego rebus, Princeps optime, incenſus, vt me publici voti, lætitiæque participem teſtarer, cûm tenuioris fortunæ meæ humilitas quicquam maius præſtare prohibeat, hunc Hymnum de Beata Roſa Sanctiſſimo Principi terrarum Pa-

truo

truo tuo Clementi Nono Pontifici Maximo nuncupaui, tuamque in primis Summam Amplitudinem cum profunda demiſſione oro, vt hic qualiſcumque conatus meus benignè accipiatur, neq; Apoſtolicæ benedictionis gratia indignus habear; multos verò adhuc annos Sanctiſſimo Patruo tuo ad res humanas tuendas, tibi Patrui æuum & decus olim a Deo opto voueoque, Vale.

Piſis decimo quarto calendas Aprilis 1669.

Reuerendiſſimo Patri
IO: BAPTISTÆ DE MARINIS
Totius Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali

Romam.

ETſi nullo hactenus ſcriptionis obſequio, aut aliena vſus commendatione tibi, Reuerendiſſime Antiſtes, innotuerim, tamen cùm de raris ſummiſque animi tui virtutibus, ac præcipuè de tua egregia humanitate creberrimos ſermones iam a multis annis audirem, inſigni te ſemper amore, ac tacitæ venerationis officio proſequutus fui, meaſq; quodammodo vices dolebam, quòd huic meo officio litteris teſtificando legitima argumenti occaſio deeſſet. Nunc verò commodum euenit, vt dum Sanctiſſimo Pontifici Clementi Nono Hymnum de Beata Roſa Virgine Americana iſthuc mitterem, vnà quoquè poſſim in eo, quod do-

nō mitto exemplari, imeũ tibi propius cultum cum egregio amore atque obſeruantia coniunctum teſtari; quod hic herclè ex animo quamlibent iſſimè præſto; ſique precibus meis, vti planè confido, apud ſummam humanitatem tuam locus eſt, enixè oro, Rerendiſſime Præſes, vt me operum bonorum, quę in vniuerſa Religione Dominicana fiũt, prò tua eximia pietate participem declares. Quo ſi me munere optatiſſimo donabis, ſpero fore, vt Superis bene iuuantibus Beati quoquè Bertrandi memoriam Hymno complectar. Plura, cùm per occaſionem licebit, Hymni Beatæ Roſæ exemplaria iſthùc mittam. Tibi porrò, Summe Dominicani Ordinis Moderator, ea omnia bona a Cæleſti Numine auguror, quæ & ſumma tua virtus, & obiti pro Religione labores, & ſingularis naturæ tuæ bonitas promerentur. Vale.

Piſis quarto decimo calendas Aprilis 1669.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FERRANTI CAPPONI
Magni Ducis Hetruriæ Auditori &c.

Labeonem.

TOto matutino ſpatio, quo hinc Sereniſſima Aula Labeonem diſcederet, modò Ædes Palatinas, modò Sacram Baſilicam, ac ipſum equeſtre forum obiui, vt tuæ poſſim humaniſſimæ Amplitudini ſum-

mas certè gratias habere, quòd tua in primis opera augusta magnanimitas Principis meæ exilitatem fortunæ ſolito gratuito ſtipendio ſubleuandam ſuſceperit; ſed omnis iſta matutina obitio teſtandæ venerationis meæ ſucceſſu caruit. Nunc verò hoc ipſo gratiarum actionis officio aliquanto ſerius defungor, quòd & quotidiani labores, & Hymnus Beatæ Roſæ publicè recitandus me inuitum ab hoc munere tibi obſequendi retardarunt. Ea igitur omnia cum intimi cultus obſeruantiæque meæ ſignificatione, cum ſumma nunc animi demiſſione libentiſſimè præſto, meiſque vnà precibus oro, vt poſtquam Amplitudini tuę viſum eſt ex ſola animi tui in probos homines, ac litterarum amantes propenſione inopiæ meæ tuendæ patrocinium ſuſcipere, digneris quoquè Illuſtriſſimo Marſilio Piſanæ Academiæ Præſidi litteras exarare, quibus ego poſſim æs gratuiti ſtipendij à Quęſtore ædium vectigalium obtinere. Quo me ſanè beneficio, & ſi iam tibi multis nominibus obſtrictiſſimus ſim, tuæ quodammodo Amplitudini obſtrictiorem reddes; proque longiſſima tuæ vitæ incolumitate ipſos Cælites enixè precabor. Salue totius Hetruriæ ac Italiæ maximum decus Ferrans Capponi, meque clientibus tuis ſemel inſertum conſtanti patrocinio tuere. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Aprilis 1669.

Per-

Perilluſtri, ac amantiſſimo Viro
D. VINCENTIO TAMBVRINIO.

Romam.

CVm Iano Coſta iſthuc proficiſcente ſena tibi exemplaria ſuo faſciculo illigata, vnà cum epiſtola mea ad Abbatem Gradium mitto. Tibi verò vnum exemplar, ac duo alia, quæ pro tua inſigni humanitate meo in primis nomine Eminentiſs. Ilcio, ac Reuerendiſſimo Pontifici Agnoluccio exhibebis. Gauiſus ſummoperè fui te Cardinalis Ginetti amicitia ac patrocinio frui; tamē officij cauſa nō deſtiti te officioſiſſimè quoquè Abbatis Gradij neceſſitudini ac patrocinio plurimum commendare. De rebus Piſanis, quas te credo à Patruo tuo ſpectatiſſimo Viro ſuis præſertim vberrimis litteris intelligere, nihil omnino addo. Quotieſcumque illi, vt quotidie ferè accidit, obuius incedo, de rerum tuarum iſthic ſtatu, ac proſpera valetudine præ amoris in te mei vehementiſſimo ſtudio diligentiſſimè percunctor, ſimulque ſalutationis officia cùm ad te ſcripturus eſt amantiſſimè aſcribi oro, vt vel inde cognoſcas quàm ego te ſollicitè & ſtudioſè amare non ceſſem. Addidiſſem libenter plura exemplaria, ſed quadam verecundia nimis onerandi officioſiſſimum hominem, cùm is equeſtri iſthuc itinere contendat, deterritus, accumulando oneri ſuperſedi. Omnes tui hic te amantiſſimè ſalutant; ac in iſto ocello, immo lumi-

ne maximo Orbis terræ Roma omnia proſpera ac ſecunda augurantur. Me verò vt tibi, tuæque egregiæ virtuti addictiſſimum eſſe, & ſemper fore agnoſcas, valde oro. Vale.

Piſis poſtridie calendas Aprilis 1669.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D.
D. STEPHANO ABBATI GRADIO.

Romam.

FRetus hominis Piſani iſthuc proficiſcentis opportunitate, non potui, Illuſtriſſime Gradi, non adhuc aliqua Hymni mei de Beata Roſa exemplaria ſubmittere, ſi ea res fortaſſe tanti ſit, neq; nunc oneroſus exiſtam dum hunc Iuuenem mihi amiciſſimum egregia morum probitate, ſingulari doctrina, & inſigni quoquè Sacerdotio ornatum tuæ eximiæ humanitati, atque patrocinio ita commendo, vt nihil omnino ſit, quod hoc tempore tuæ poſſim ardentius benignitati commendare. Si verò in hoc ipſo officio nimia apud te vti confidentia videbor, tuæ id in primis optimæ ac facillimæ bonitati imputabis, meamque facilitatem non a vitio quodam, ſed a leniore natura proficiſci exiſtimabis, nam ea mihi imbecillitas frontis obtigit, vt nihil queam amicorum precibus denegare. Sed hæc fortaſſe nimia apud te, qui tua quadam ſponte & clientibus

bus tuis, & ijs, qui tibi commendantur, hominibus patrocinari ſoles. Me porrò, Clariſſime Gradi, quo iam pridem complexus es patrocinio, perpetuò pro tua eximia bonitate tuendum ſuſcipe. Vale.

Piſis poſtridie calendas Aprilis 1669.

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE In Academia Piſana Eloquentiæ Profeſſori.

Stephanus Gradius.

Piſas.

Binas a te accepi, Vir Clariſſime, litteras eiuſdem argumenti, quibus munus elegantiſſimum carminum tuorum de Beatæ Virginis Roſę laudibus Sanctiſſimo Domino Noſtro, & Eminentiſſimo Roſpiglioſio vnà cum epiſtola ad eum data, & Reuerendiſſimo Marino Generali Ordinis Prædicatorum Magiſtro, tuis verbis perferre me iubes, atq; exemplorum huius ſcriptionis, quæ per hūc ad me mittis, cæteris item claris in hac Ciuitate Viris copiam facere. Quod ego mādatum tuum, vt debui, diligenter curaui, gratiamque ab ijs, qui hac tua liberalitate affecti ſunt, neq; mediocrem, & mihi iucundiſſimam libenter iniui. Itaque de hac tua perſeuerante erga optimas artes voluntate, præſertim in hoc tanto illarum hoc tēpore neglectu, in primis te laudo, & magni

facio. Quantum autem venæ tuæ fęlicitate & abundantia ſim delectatus, ipſe facilè exiſtimare potes, dum me huiuſmodi formarum non inelegantem ſpectatorem iudicare videris, qui cùm abundè habeas, vnde tibi in hoc genere placeas, honeſtiſſimæ huius tuę voluptatis fructum tam ſæpè mecum communicas; qua de re ſingulares tibi habeo, agoque gratias; vtque in hoc inſtituto tibi bene de litteris merendi ſtudio pergere ne intermittas, etiam atque etiam te hortor. Vale.

Romæ decimo ſecundo calendas Maias 1669.

Illuſtriſſimo, ac Clariſſimo Viro
FRANCISCO MARIÆ FLORENTINIO.

Lucam.

DVm quicquid a prouinciæ meæ laboribus otij ſupereſt, id, Franciſce Maria æui noſtri eximium decus, diuino volumini tuo lectitando cum incredibili animi voluptate impendo, factum eſt, vt nimia euoluendi præſtantiſſimi operis cupiditas me plus æquo in gratiarum actione ſilentem, & quadam ruſticitatis labe notandum reddiderit. Sed quæ tua rara, & mihi pridem nota humanitas eſt, huic etiam ſero & tardo de ditiſſimi tibi hominis officio ignoſcet. Gratias itaq; ſummas maximaſque pro ipſo tuo, quo me honeſtare dignatus es, præſtãtiſ-

tiſſimo munere ago; Quid munere? theſauro inquam, ad augendas Romanæ Eccleſiæ opes, ad nouas quodammodo laudes Martyrum, qui tot iam ſæculis ignoti latuere, a te diuinitùs defoſſo, illuſtrato, ac Chriſtianæ pietati in nouæ trophæum gloriæ exhibito. Eſt herclè, eſt quod ex animo gratuler hunc tibi, quem religioſiſſimè ſuſſcepiſti, laborem, quo dum optimè de Romanæ Eccleſiæ Annalibus mereris, tui quoquè nominis æternitatem ſańcta ad omnes Poſteros recordatione traſmittis. Nam profectò omnia (ſi quis attentè lecturus eſt) quàm acutè, quàm candidè, & religiosè tractas! immo quantam lucem ipſi caligini ſæculorum affundis! pleraque enim, ſeu iã exorientis Eccleſiæ æuo, ſeu poſt diſceptata ita attingis, aut potius illuſtras, vt nihil omnino ſit, quod non ſolida & robuſta authoritate maximorum hominum confirmes, ſuumque iudicium Summo Religionis Romanæ Senatui vſque permittas. Sed quid ego hæc? redeo in meum ordinem. At tu Vir maxime, tot iam Diuis, quot tibi hoc æterno opere propitios meruiſti, in hoc mortalitatis curriculo ſecundis vtere, & in ſempiterno domicilio Beatorum conſortibus (ita confido) gloriæ in omnem æternitatem, ſed ſerò fruere. Ne verò hæ meæ litteræ ad te inanes perferantur, meum quoquè munuſculum adieci. Sed quale? tenue, exile, vixque auribus tuis probandum; ſed ſic tamen munuſculum, non quidem a re ip-

ſa; ideſt ipſo conatu meo ipſius argumenti ſanctitati inferiore, ſed a meo amore, cultu, atque obſeruantia, qua te iam pridem, Vir Clariſſime, vnicè colo; id quæſo, & me in illo tuæ ſummæ, ac præſtantiſſimæ virtuti addictiſſimum libens agnoſce. Vale.

Piſis calendis Maijs 1669.

Illuſtriſs. ac Clariſs. Viro
MARIO FLORENTINIO.

Lucam.

Neſcio quo id meo fato eueniat, euenit tamen iam ſępius, vt non niſi purgata officij tarditate meas ad te litteras ſero nimis obſequio exarem; cauſas tamen prorogati nimium ſilentij, cùm tibi ſint communes, eaſque Illuſtriſſimo Parenti tuo indicarim, hic non repeto. Ipſas verò gratias, quas tuæ eximiæ & ſingulari humanitati plurimas debeo, ita ago, vt cùm eas referre non poſſim, cum hac ipſa actione gratiarum me etiam impoſterum debere profitear. Boni Cœlites! quali me dono è ſacræ antiquitatis theſauro cumulaſti! memineram quidem cùm ante aliquos pro tua mirifica humanitate tecto meo, communiq; veſcendi conſuetudine vtebare, præclarum aliquid ab Illuſtriſſimo Parente in Romanis Annalibus parari; ſed tunc herclè paternæ moderationis memor diuini iſtius operis laudes

reue-

reuerenti potius, quàm exacto elogio proſequutus fuiſti. Certè iam a multis ſæculis nihil dignius, addo quoque vtilius, ac Romanæ Eccleſiæ glorioſius tot iam Martyribus reſtitutis, tot controuerſijs enodatis in lucem prodijt. Atq; ego tibi ſanctè affirmo, &ſi inclamaret anus famula ire noctē, tempus auroræ propius, quàm veſpero fluxiſſe, me tamen a proſequenda ſanctiſſimi voluminis lectione auelli nequiſſe; nam a duobus & triginta annis, ab ipſa ſcilicet adoleſcentia ineunte, mea quadam ſponte ſacrorum Annaliū cognitioni deditiſſimus ſemper vixi, nilque dubito fore, quin hoc ſe opus ſua mole, ac ſacræ authoritatis pondere in omnem mortalis æui æternitatem extendat. Ego verò muneri tam inſigni, tam egregio quid repono? amorem ac cultum meum in hoc tenuiſſimo Hymni dono, in quo animum donatoris, non ipſam exilitatem agnoſces. De libello iſto Anatomico, vt primo quoquè tempore ad te mittatur, aut quid eo factum ſit, diligentiſſimè Tilmanno perſcribam. Nunc denuo oro, vt a tua eximia humanitate huic tarditati officij ignoſcatur; quo in voto mihi plurimū ſalue cultiſſime Mari exoriens Hetruriæ ac totius Italiæ decus. Vale.

Piſis poſtridie calendas Maij: 669.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro D.
D. ANFRANO MATTHIÆ FRANSONIO
Genuam.

TImerem in hoc ipſo limine epiſtolæ Illuſtriſſimæ Amplitudini tuæ ſi non temerarius, ſaltem plus æquo confidentior homo videri, qui me ſic obijcere auſus ſim, niſi iam multiplice clariſſimorum hominum ſermone, atq; ipſa indice, ac iam diſperſa per Italiam fama ſummæ moderationis tuę, ſummæque humanitatis laudes cognouiſsē. Iniui itaque conſilium, vt cùm te antea & tacito meo cultu, & ſingulari obſeruantia multum colerem, nec iam eſſem planè ignotus, me tandem cum honeſtiſſimæ ingenuitatis libertate, ac intima venerantis animi demiſſione, cultuq; in te meo perpetuo ſemel ſiſterem. Atq; hoc ipſo multo certè maturius defungi optabam, ſed cùm in cenſu meo litterario nihil ſupereſſet, quod Amplitudine tua dignū videretur, hoc quodammodo obſequium inuitus prorogaui. Nunc verò ne litteræ meæ omnino inanes ſint, Hymnum Beatæ Roſæ Virginis Americanæ cum latinis Poematijs meis in conſtātiſſimi amoris atq; obſeruantiæ meæ pignus mitto, atq; vnà oro, vt hunc hominem Belgam, cuius amicitia & familiaritate propè domeſtica iam multos annos vtor, quique iſthic Genuæ in clariſſimo Europæ emporio ſedem figere conſtituit, tua in primis authoritate atq; patrocinio complectendum ſuſci-

ſci-

ſcipias. Adnexum faſciculum Reuerendiſſimo Aproſio iube, obſecro, perferri. Adrianius noſter officioſiſſimam cum ſumma veneratione Amplitudini tuæ ſalutem nuntiat. Me verò vt tuis inſeri clientibus pro tua egregia & excelſa indole patiaris, valde & enixè oro. Vale.

Piſis pridie calendas Iunij 1669.

Reuerendiſſimo Patri

ANGELICO APROSIO VENTIMIGLIA.

CVm in ſumma properatione Adrianius noſter Ampliſſimo Franſonio ſuas exararet, aliqua quidem Poëmatia mea, quæ ad te iſthuc perferrentur, faſciculo Franſonij adnexi; at herclè anguſtia temporis, quæ ſummopere cupiebam addere, obſequia literarum ademit. Poſtea verò cùm ad te ſcribere quouis capto argumento maximè optarem, & tamen nollem meas ad te litteras inanes peruenire, commodum accidit, vt a Redio noſtro omnium elegantiarum promocondo, tuique amantiſſimo Viro, tuas iſtas multo lepidiſſimas lucubrationes, Veneres inquam, ac Gratias omnes cum intimæ eruditionis ſenſu placida ſalium leporumque imagine contextas, certaq; ſtyli æternitate ad memoriam poſteritatis munitas Adrianius acciperet; quas herclè cùm in-

credibili animi voluptate multoties legi, ſẽper noua cupiditate relegendi incenſus. Interim Hymnus meus de Beata Roſa Americana Virgine in lucem prodijt, quem hæc tibi, Reuerendiſſime & Clariſſime Aproſi huius æui egregium decus, bonarumque artium præſtantiſſime vindex, in mei ergà te amoris, primiquè cultus, ac deinceps perpetuæ obſeruantię pignus ex toto animo, cãdore planè Belgico, cum me ipſo totum dono, ac ſiſto. Habes hic quoquè quæ vno libello comprehenſa Sereniſſimo Principi Leopoldo inſcripſi. Luteתię Pariſiorum Redio noſtro auſpice, ope clariſſimi Abbatis Menagij typis (vti confido) ſubiiciuntur. Vbi prodierint inter primos videbis. Me interim tuæ ſummæ virtuti, ac partæ iam pridẽ gloriæ deditiſſimum ita inter nouos clientes admitte, vt me ſcias doctrina quidem omnibus, in te verò amando colendoque ceſſurum nemini. Salue totius Liguriæ, & Italici nominis laus maxima Aproſi. Vale.

Piſis pridie calendas Iunij 1669.

Suauiſſimæ, ac cultiſſimæ Virgini
MARIÆ SYLVAGIÆ DE BORGHINIS.

QVæ tu es Virgo Italidum Puellarum decus! amor certè, atq; amabilis Hetruriæ ſtupor, quæ vix annum egreſſa vndecimum, tam culto, tam ingenuo obſequio litte-

litterarum me prior latinè appellas? obſtupui, ſuauiſſima Virgo, & humanitate tua, & pulcherrima ſtyli venuſtate perculſus. Dum enim ea ætate adoleſcentes ingenioſiſſimi vix ipſa latinitatis elementa probè norunt, tu in mediis latini ſermonis penetralibus verſaris, cultum omnem elegantiarum imbibiſti, ſtylum venuſta & graui facilitate exerces, immo nos ipſos, qui totum æuum in his humanioribus diſciplinis penè exegimus, longè exſuperas, tuique ſexus gloriā ſupra virile decus attollis. Perge præſtantiſſima Virgo in hoc ipſo bonarum artium curriculo, nihil virgineis tuis conatibus, quo nunus ad ſummam gloriam cū ſumma Italiæ laude, tuique nominis æternitate peruentura ſis, obſtabit. Per te vetera illa nomina illuſtrium fęminarum Greciæ Diotima, Aſpaſia, Teleſilla, Sappho, Anyte, Cleobulina, ſi quò inſtituiſti ire, perrectura es, facilè cedent, priſcique iſtius æui laudem tuo quoq; ſæculo vindicabis. Sed parco tibi plura Sapientiſſimę Virgini, cùm tua ſponte ſis ipſa amori litterarū deditiſſima, ingerere, laudeſq; alias tuæ eximiæ virtuti adiungere, ne tuæ in primis modeſtiæ, ac virgineo vultui, qui ad has erubeſceret, ſim grauis. Amo te caſtiſſima Syluagia, ſed tātum ob amorem virtutis, colo propter egregias animi dotes, & ſpem pulcherrimæ laudis, quam iam de te Virgo maior tuis annis excitaſti. Deus tibi, tuiſq; conſiliis in omni ſemper benedictione aſpiret. Salue ge-

ne-

neroſa Virgo a me tuæ virtutis cultore eximio. Vale.

Piſis poſtridie idus Iunias 1663.

Clariſſimo Viro

TILMANNO TRVTVVIN.

Florentiam.

Binas a te pauco miſſionis interuallo parium elegantia tum humanitate exaratas accepi. Amorem in me tuum, & tuendæ dignitatis meæ ſtudia in vtriſque agnoui, eoquè nomine gratias cum meo erga te amore coniunctas hic libens aſcribo Clariſſimo Moniliæ, cuius eximiæ humanitati, & officijs mihi præſtitis plurimum ſum deuinctus, gratias ſanè maximas primo quoque ſcriptionis obſequio habebo. Animus verò meus cùm id ætatis ſim, ab hac licentioſa Hetruriæ iuuentute planè abhorret. Id ambiant decus qui velint, ego me intra modeſtiæ limites continebo. Præterea amicitiæ, & ipſæ commendationes hic plurimum valent, & ſæpè paucitas idoneorum facit, vt quiuis vel flore æui, vel hetruſca facilitate eloquij obtruſus, perutilis huic muneri habeatur; & herclè meritò, nam res ita inualuit, vt hæc tota iuuentus inſigni quodã cultu corporis, quæſita comitate, ſermone verò non niſi Italico eoque arguto, & elegantiore ſolùm delectetur. Vide porrò quã

nos

nos homines tranſalpini huic muneri pares ſumus. At licet latinè effari ? paucis, & ſi paſſim in congreſſu vteris, tibi inuidiam, & dicenda mox conuitia comparabis. Sed de his hactenus. Caſum optimi ac integerrimi viri Marchionis Coppoli valde doleo; nunc verò Manibus illius omnia bona ab indulgentiſſimo Numine apprecari non ceſſo. De meo cretenſi iſthuc non miſſo dicet Baragallius; Si vis ſeruari, aut aliud tuo aduentui reponi, tuam dum reſcribis voluntatem nuntia. Res tibi meas Pariſienſes commendo. Miror a clariſſimo Menagio nullas iſthuc litteras peruenire. Me ama, & vale.

Piſis quarto decimo calendas Quintilis 1669.

Reuerendiſſimo Patri

SEBASTIANO QVINQVETTO

Totius Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Correctori Generali.

Florentiam.

HÆret animo meo planè infixa ſuauiſſima iſta congreſſio noſtra, dum tuæ Amplitudini venerationis meæ obſequia hìc Piſis deferrem, eumque tu mihi amorem oſtenderes, qui non niſi ab egregia ſingularis naturæ bonitate proficiſci poſſit; neque nunc certè, aut vllo conſequuturo tempore fiet, vt tua iſta amabilis imago ad priſci qui

ſanctitatem compoſita, comitas nullius ſimulationis artificio inquinata, atque ipſe integerrimi animi candor, qui tantoperè olim commendauit, & nunc quoq; Galliæ noſtræ homines commendat; animo meo memori elabatur. Optabam equidem ea, quæ proxime inſequebatur, luce iterum venerationis & gratulandi incolume iter officia renouare; ſed cùm tua profectio exorientem auroram præuen:flet, ſpe iſta mea, atque votis frui non licuit, toto tamen animo, fauſtiſque pro toto conficiendo itinere te appreciationibus proſequutus fui, & nunc toto omnino pectore proſequor, meiſque etiam precibus luſtrandis Religionis tuæ Prouincijs firmum tibi valetudinis robur atq; incolumitatem ab ipſo quamardentiſſime Numine exopto. Hoc verò exemplar Beatæ Roſæ Americanæ Virginis vna cum litteris meis vt menſe Septembri religioſiſſimo Marchioni Planeſio cùm Auguſtam Taurinorum diuina indulgente clementia ſoſpes adueneris, meo digneris nomine exhibere, vt hic te quamvehementiſſime oraui, ita nunc etiam atq;et à ſummoperè rogo; neque huius apud me beneficij memoria leuis futura eſt, nam pro tua Reuerendiſſime Pater incolumitate, qui me nuper & Ordinis tui bonorum operum participatione, & hoc nunc recenti beneficio cumulandum putaſti, ipſum quotidie Numen deprecabor. Vale.

Piſis decimo tertio calendas Quintilis 1669.

Illu-

Illuſtriſſimo, ac Ampliſſimo Viro D.
D. MARCHIONI PLANESIO.

Auguſtam Taurinorum.

ITerum, Vir Ampliſſime, conatibus meis, qui fortaſſe magè pij ſint quàm elegantes, inſiſto. Poſt Diui Franciſci Saleſii memoriam, Beatæ Roſæ Virginis Americanæ Hymnū meis vtcumq; numeris elucubratū, Summoq; Pontifici Clemēti Nono inſcriptū tuæ in primis religioſiſſimæ Amplitudini in mei amoris, perpetuiq; cultus ſignificationem, eò ſanè lubentius dono miſi, quo ſeſe opportunitas magis fauſta, ac quaſi diuinitus oblata mihi côntigerit. Is ipſe Reuerēdiſſimus Pater toti Minimorum Religioni Præpoſitus Miniſter hanc mihi operam meas, adnexūmq; exemplar ad te perferendi menſe Septembri humaniſſimè ſuſcepit, cauſatus ob Ædes ſuæ Religionis viſendas non poſſe ante id tempus Auguſtæ Taurinorum adeſſe. Proinde tua religioſiſſima humanitas, vti planè confido, hanc moram æquiſſimo animo feret, meq; ſuæ Amplitudini ita deditum agnoſcet, vt nulli penè mortalium magis eſſe deditus poſſim. Hoc tantùm, ſed cum ſumma demiſſione, & intimæ venerationis fide Amplitudinem tuam enixè rogabo, vt ubi ſe locus idoneus obtulerit, dignetur Marchioni à Sācto Thoma cultus mei, amoriſq; conſtantiam renouare, ſimulq; ab Amplitudine ſua ſciſcitari an Hymnus meus Saleſianus ſit Regiæ Celſitu-

ſtudiui Caroli Emanuelis oblatus. Caue tamen putes hæc nunc eò à me aſcribi quaſi imbecillitas mea ſpe aliqua conſequendi muneris duceretur? id nequaquam, ſola enim Principum gratia mihi omnibus omnino donis ac muneribus maior eſt; animi verò pietas induxit, vt tanto Principi ſuum olim ſubditum, nunc Diuum, ac Sabaudiæ Tutelarem nuncuparem. Porrò ſi me aliquo reſpondendi officio Marchio à Sancto Thoma dignabitur, nihil meis votis defuiſſe exiſtimabo. Ego interim Deum Optimum Maximum precor, vt tibi omnis ſemper benedictio cęleſtis aſpiret. Vale.

Piſis decimo tertio calendas Quintilis 1669.

Humaniſſimo Viro

PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Anſranus Matthias Franſonus.

Piſas.

TRaditæ mihi ſunt litteræ, Vir humaniſſime, duplici nimirum tuorum carminum, atque amoris decoratæ munere; ambo alacri excepi animo vti gemmas ex peritiſſimo Muſarum amicitiæque depromptas ærario. Me tantùm cura mordebat excogitantem quibus verbis gratias agerem, quibus officiis referrem: Sed feſtinanti tuam auidè lectitare epiſtolam tua mihi optatiſſima oc-

cur-

curruNt iuſſa, quæ Belga tuus pro meis viribus ſibi ſentiet profutura. Aproſium noſtrum faſciculum accepiſſe facilè noueris. Cæterum nomine meo Adrianium tuum iube ſaluere, mihiq; tui amantiſſimo mutuam impende beneuolentiam.

Genuæ nono calendas Iulij 1669.

Perilluſtri, ac Doctiſſimo Viro
PETRO ADRIANO VANDEN BROECKE.

Fr. Sebaſtianus Quinquet Generalis Ord. Minimorum.

Piſas.

PArumnè videbatur tuæ perilluſtri Dominationi cor mihi Piſis eo vſquè ſuaui rapuiſſe colloquio, vt vellet Florentię ſuperſtitem animam eloquentiſſimo ſuæ epiſtolæ deprędari ſtylo? Fęlix quidem pro me pręda, dum totus illius exiſto, vtinam pro illa non ingratior ſarcina, dum me futurum inutilem conſpicio. Quid mehercùlê decoris inferre valet vnius minimi hominis præda ei, cuius meritis quotidie appendũtur maximorum hominum pro communi trophæo ſpolia? Teſtes aduoco celeberrimos quoſque ſcientiarum & artium profeſſores, quorum nullus eſt, qui vel te viderit, vel de te audierit, quin tuus eſſe vel inuitus cogatur. Sed quomodo inuitus? ſi prius à te

non

non viſus, quàm ſuauiter victus? quod ſi experius profiteor, nec ſcripturientis, aut blandientis calami apud te ſuſpectus eſſe vereor, dum ea quam tibi natura indidit bonitas me nullo ſimulationis fuco inquinatum credit. Vellem alijs coruſcarę dotibus; hæc mihi grata eſt, immo plusquã abundè ſufficit, quia tuis laudibus vbique verius publicandis nunquam deficiet. Parco meæ Generalitiæ dignitati quæcumque incommoda mihi hucuſque adiciuit, dum enim tecum æternæ fœdus amicitiæ ineundi occaſionem præbuit, omnes erumnas non ſinè ſummo gratiarum fœnore compenſauit. Me vltra merita præmiabitur ſua perilluſtris Dominatio, ſi mei nuſquam obliuiſcatur; & ego citra condignum gratus exiſtam, ſi illius in meis ſacrificiis memoriam perennem, vt promitto, teneam. Non dubitet quod ex hac labantur memoria quæcumq; circa Illuſtriſſimum Domnum Marchionem Planeſium mihi comm fit; vbi primùm Taurini fuero, hunc ex ſua parte inuiſam, tradamque cum litteris non amplius rudem Americanam, ſed venuſtiſſimam inter Europeanas tuo beneficio Roſam, quæ in prę mium tantę occidentalis glorię ſuę eſſentiali additæ æternos tibi obtinebit annos, quos precatur.

Florentiæ octauo calendas Quintilis 1669.

Addictiſſimus tuus ſeruus
Fr. Sebaſtianus Quinquet Gen. Ord. Minim.

Præſtanti, ac ornatiſſimo Iuueni
IOSAPHATO ADRIANIO.

Lucam.

HOdie matutinis horis exemplar emendaui; cura, obſecro, diligentiſſime vt mendis omnibus ſublatis ipſa ſimulacra litterarum benè exprimantur. Adrianius frater aduerſaria mittit, in quibus integra apparent vocabula, quę litura in exemplari maculauit. Vberius ad te ſcriberem, ſed nedum eius morbi, qui me nuper inuaſit reliquias depuli, tum vrget abiturus Pellicia omnium hercle mulionum duriſſimus, modò iumenta, modo me querulus, ceu conuitium tacitum meditaretur reſpectans. Muſis noſtris amęnioribus, ſi me audis toto animo libentiſſime incumbes, ex iis enim ſummum aliquando decus cum ſummo fructu, ac multa tui nominis laude conſequere. Sed hęc seriò in intimos animi tui ſenſus admitte, ac cogita nil ęuo iuuenili, nil valetudine proſpera, ac ipſo deniquè tempore, quo ſua cuique ętas tacitè conficitur, pretioſius reperiri. Me ama tui amantem. Vale.

Piſis decimo ſexto calendas Sextilis 1669.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO ADRIANIO SVO.

Lucam.

EO quo miſiſti die epiſtolam Caſſiani tabellario Romano dedi; duas tibi pro vna repono, alteram vt è gemmæ impreſſione cognoui Illuſtriſſimi Ilcij Archiepiſcopi noſtri Piſani, alteram quam Pettininij famulus ante paucos dies ad me pertulit tibi, vt herus exiſtimabat tutius mea operà perferendam. Cardinalis Bonuiſij valetudinem non eo quod timebatur diſcrimine verſatam fuiſſe ita gaudeo, ac vobis gratulor, vt penè nihil maius habeam, quod iſtis Ciuibus, ac vniuerſo Senatui gratuler; tota enim Italia, ac vniuerſa omnino Europà mirifico quodam amore Virum iſtum omni heroica virtute, ac Chriſtianæ in primis integritatis laude florentem proſequitur; & ego antè octo & decem iam annos conſtanti tacitæ venerationis obſequio ſemper colui. Si id res tuæ familiares ſinunt, malim omnino te ad Redium ad aquarum ſalubriũ balnea proficiſci, quàm id officij litteris teſtari; tuus enim iſthuc aduentus homini amantiſſimo tui non niſi gratus, atque etiã optatus accidet. Dum à Sereniſſima Magna Duce vacabit, cum homine clariſſimo & ſuauia & erudita colloquia inibis, ac certè de communibus Muſis iucundiſſimus ſermo oborietur. O & me fælicem ſi deflexo iſthuc ſermone aliquid de impreſſione noſtra Pa-

riſienſe intelligas, quod ad me ſtatim eius nuntij cupiditate flagrantem perſcribas! meam interim, ſi iturus es, ſalutem illi officioſiſſimam nuntia, nihilque earum rerum prætermitte, quæ ad ſuum mihi conciliandum amorem ſpectare cognoſces. Pecorinus, qui cum Stenonio ad Cymbros profectus fuit, prouinciam in hac Academia docendi obtinuit. Tilmannus adhuc ſilet. Tuos omnes amantiſſimè ſaluto. Me ama. Vale.

Piſis pridie nonas Septembris 1669.

Illuſtriſſimo, & Clariſſimo Viro
ALEXANDRO MARCHETTI
Philoſophiæ, ac Matheſeos Interpreti præſtātiſs.

Emporium.

NOnis quintilis tuas cum nouò codice, ingenij inquam tui præſtantiſſimo fœtu, accepi; at ego tunc valetudine prohibitus cùm tibi ſcripto gratias habere non poſſim, iuſſi latorem hoc pro me officio defungi. An ille hoc præſtiterit valde ambigo, nam cum hominem rogaſſem, vt à reditu Labeonenſe me iterum, ſi quid ſcripturus eſſem inuiſeret, id omnino neglexit. Poſteà tu eas ſubmiſiſti litteras, quæ &ſi plenæ amoris, humanitatis, ac intimæ beneuolentiæ notis aſperſæ eſſent, ijs tamen & argumenti cauſa & meo quodam ingenuo pu-

pudore retentus neſciui quid reſpondere. Rogas enim anxiè, & diligentiſſimè (& ob id ipſum te mirificè amo, ac toto penitus animo complector) an conualuerim? Sed qua fine? Vt tutò tua ad me dona perferantur. Certè ad modeſtiam & moderationē meam pertinere exiſtimaui, vt potius tantiſper inofficioſus, quàm ſpe muneris accipiendi acceleraſſe officium viderer; neque dubito Vir Clariſſime quin tu meum hoc conſilium omnino probaturus ſis. Tertias hodie breues quidem at elegantiſſimas ſummi amoris, ſummaque beneuolentis animi ſignificatione refertas, & omnino tales accepi, quibus & amantiſſimè ſimul & libētiſſimè reſpondeo, gratiaſque tuæ ſummæ humanitati habeo, quòd me pulcherrimo iſto de Mathematicis diſciplinis opere tuo honeſtare voluiſti. Si de valetudine mea quæris? ea vetere & priſca vtimur, ideſt incerta, vacillante, deſtillationibus, grāuedini, ac pituitæ obnoxia. At quid lætum in hoc mortalis vitæ curriculo? Sunt bona miſta malis, ſunt mala miſta bonis. Tu me Clariſſime Marchetti huius æui decus tuî ſeriò amantem ama. Vale.

Piſis quinto idus Septembris 1669.

Cla-

Clariſſimo Viro

ALOYSIO SVCCHERINIO.

Emporium.

IRaſcor ſubindè occupationibus meis, Clariſſime Aloyſi, non quòd eas libenter nō admittam, ſed quòd hæ præcipuè id efficiāt, vt inuitus ſæpè ac nolens officijs amico rū, quos interim ſanctiſſimè amo, ac tacitæ venerationis cultu obſeruo, ſatisfacere non poſſim. Scis opinor quò hæc oratio euaſura ſit? Sancte tibi, & Belgica ingenuitate affirmo hæc ipſa, quæ nunc tam ſerò obſequia ſcribendi perſoluo, me antè ſæpe ſtatuiſſe, vt ea quauis arrepta opportunitate perſoluerem; Sed neſcio quæ ſemper cauſæ ſint obortæ, quæ me a debiti officij munere retardarint. Modò ſe obiecit languor infirmæ valetudinis vitio contractus, modò graues, qui me quotidie circumſiſtunt labores, me & ſi tui maximè memorem, etiam quodammodo meditantem quæ litteris tuis elegantiſſimè exaratis reponerem, diſtraxere. Sed hæc nimia fortaſſe apud te, optime ac humaniſſime Aloyſi, qui pro tua eximia naturæ bonitate animum potius meum agnoſces, quàm ceſſationem officii culpabis. At mihi herclè cauſam non modicam erubeſcendi præbuiſti, qui me prior cultiſſimo tuarum obſequio præuenire voluiſti; amorem inſuper ſingulari, & candida elegantia erga me tuum oſtendis, nec ceſſas interim nomini quoq; meo laudes adiungere,

quas

quas & ſi agnoſcere non poſſum, tuum tamen affectum libens amplector, atq; mutua amandi neceſſitudine totum me tibi cum æternæ beneuolentiæ nexu coniungo. Auunculo tuo Viro Clariſſimo Nerio noſtro, tuoque Patrueli Hippolyto ſalutem officioſiſſimè nuntio; tibi omnia a Deo proſpera & ſecunda opto. Salue mi Aloyſi egregium nō vnius Apollinis decus, meq; tui diu tacitè, nunc palam, & ſcripto amantem ama. Vale.

Piſis quinto idus Septembris 1669.

Clariſſimo Patri

D. CYRILLO GRILL=NTI

Carmelitanæ Religionis in Hetruria Prouinciali

Florentiam.

CVm hac nuper Reuerendiſſimus Pater toti Carmelitanæ Religioni Præpoſitus Magiſter Generalis iter in Galliam haberet, bono meo fato obtigit, vt id, quod animo antè conceperam, eiuſdem quoquè religioſiſsimi Viri hortatu multo alacrius ac diligentius perficerem. Effare, inquis quid hoc rei eſt? de Diua veſtra Florentina loquimur, cui nunc in Apotheoſim relatæ, vt virium noſtrarum imbecillitas tulit, Hymnū, ſeu compendiarium totius pene vitæ elogium lucubrauimus, atq; id cùm ſæpè multiplice valetudinis moleſtia laborarem, & ſalutare ab ipſa inuocata Virgine auxilium ſen-

ſentirem, voui me cum omni demiſſione curaturum, vt in templo iſthic Sacrarũ Virginum, vbi Diuæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis corpus conquieſcit, in tabella deaurata appenderetur. Nunc verò cùm de tua mirifica humanitate in bonos omnes, & ſanctiſſima quadam in omnes Cœlites religione, doctrina verò eximia ac ſingulari, a primis Religionis tuæ hominibus cum ſummo meo gaudio perſæpè audiui, non niſi optima quæq; ſperare poſſim, auſus fui tuam hìc mihi operam implorare, atq; vna precibus meis rogare, vt primo quoquê tempore Hymnus iſthic in Sacrarum Virginum Æde appendatur. Tum omnino tibi perſuadeas velim id ipſum quoq; officium non niſi gratiſſimum ipſi Reuerendiſſimo Patri poſſe accidere. Mitto præterea ſex Hymni exemplaria, vt iis tuo libitu, ſeu mittendis aliò, ſeu iſthic retinendis vtare. Scripſi itidem hac de re Italico ſermone Religioſiſſimæ Matri Priori. Tibi verò Clariſſime Grillanti egregium tuum Religionis Carmelitanæ ornamentum omnia bona a Deo voueo, auguror q; Vale.

Piſis decimo primo calendas Octobris 1669.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FERRANTI CAPPONI
Magni Ducis Hetruriæ Auditori.

Florentiam.

ANte paucos dies iuuenis quidam, facie & habitudine corporis ingenua Georgius Flemingus ortus, vt ipſe ait, in Hibernia vltima Septentrionalis Oceani inſula, altus verò, & bonis, vt videtur, moribus educatus in Gallia hic Piſis ſeſe in fidem, ac conſectãdi obſequia Proantiſtis Nauarretti, contulit, cumq; egregia quædam in bonis artibus fundamenta ieciſſe videretur hortatu Nauarretti nonnulla latinis numeris, quæ ad laudem Sereniſſimi Coſmi Hetruriç Principis pertinerent, tuæque in primis conſecranda Amplitudini putaret, diligenti certè ſtudio elucubrauit, addidítq; ſoluta oratione, qua ſe tuæ propius beneuolentiæ inſinuaret epiſtolam perelegante cura exaratam. Bene inquis, ſed quò tua hæc euadet præfatio? noſti humaniſſime Procerum Hetruſcorum animum meum mollem, qui neſcit duram frontem honeſtiſſimis precibus aduenarum obiicere. Rogatus ab ipſo, vt hoc ſibi officio opitularer tibique, cui me nullo quidem merito meo, ſed ſola tuæ bonitatis indulgentia haud ingratum fore conſideret, commendandum ſuſciperem, hæc pauca exaro, quibus & ipſius iuuenis ingenium ad optimas diſciplinas planè deditum, & vt fert adoleſcentia, probè in latina littera-

teratura, ſeu ſoluta ſeu aſtricta oratione opus ſit, excultum pro iudicii mei tenuitate teſtarer. Addit ipſe de docenda iuuentute in equeſtri conuentu, ſiq; is locus adhuc concurſui pateret, ſequoq; ſi aud ri poſſit in ſummis votis id habiturum eſſe. Nil amplius addo, & meæ peto vt aut nimiæ confidentiæ aut temeritati pro tua eximia bonitate ignoſcas. Salue Clariſſimum Italiæ decus Ferrans Capponi, meq; tui patrocinij aura haud indignum deinceps puta. Vale.

Piſis decimo calendas Octobris 1669.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

PVdet me quaſi, & tamen neceſſe eſt, cũ aliter non poſſim, me eodem valetudinis vitio apud te purgare, cùm eadem infirmitas ſiuè languoris eſt, ſiuè, vt exiſtimo, cruditas huic omnino cælo perfamiliaris, ſiuè aliud latens corpuſculi vitium, quaſi quotidiana comes, ſeu ſtare, ſeu ſedere, aut inambulare contingit, mihi ſemper adhæreat, & ſubinde omni veſcendi cupiditate ſpoliatum lectulo damnet, ipſiſq; Medicis nunc ſuccis acribus, nunc dulcibus, ſuſoq; cruore vexandum obijciat. Sed quid ego hæc? amoris in te mei, mutuæq; neceſſitudinis fides non ſinit me legitimi ſilentij cau-

ſas perſequi. Nuptiales verſus non me a- in te voluntas ſumma, ſed hercle inconſta ns valetudo, tum obrepens ignauo animo ſte-rilitas adhuc differre coegit; idque mi-hi ſanctè a te credi perſuadeo, cui iamdiu intimos animi mei ſenſus patere volui. Diuę veſtræ Florentinæ exemplaria pro tua ſum-ma humanitate meo obſecro nomine Sere-niſſimis Principibus, Aulæ Proceribus, alijsq; vt tibi libuit præſtantibus Viris diſtribuenda ſuſcipe. Miſiſſem aliquanto citius; ſed cùm iſthuc votiuam cum Hymno tabellam ante hoc tempus mittere non licuerit, ipſa quo-què maturiora Aulæ obſequia inuitus pro-rogaui. Redium noſtrum cum ſummo cul-tu amantiſſimè ſaluto. De Menagij fide planè deſpero, iam a decem & octo menſi-bus meis & ſi humaniſſimis litteris ſemel at-que iterum quamvehementiſſimè rogatus nil reſpondit. At non accepit? de excuſſo, aut direpto tabellario omnes interim nuntij ſiluère. Quid cogitem? nolle. At id ipſum in votis eſt ſcire; tunc enim alterius ope mihi liceat vti; nunc verò animo ſuſpenſo atq; ambiguo hæremus. Sed hæc hactenus. Tu Clariſſime Forzoni me tui ex animo, ex toto corde, seriò & ſanctè amantè tuo quoq; amore ac patrocinio, vt facis, libens proſe-quere. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Octobris 1669.

Cla-

Ornato, & præſtanti Iuveni
IVLIANO ANTONIO DE PRINIS.

Pontem Cygni.

SEptimo calendas Octobris litteras tuas clara breuitate & perſpicua elegantia exaratas accepi; tuæq; diligentiæ tam exactæ, ac ſingulari tuo erga me amori, beneuolentiæ, atq; etiam vt ex tuis cognoſco, obſeruantiæ, gratias ſanè multas nunc habeo, referamq; etiam libentiſſimè, vbi ſeſe locus aliquis, quo de tua optima indole, probatiſque moribus, & præclara virtute benemereri poſſim, obtulerit. Nunc id vnũ pro tuo erga me ſtudio, & optima volũtate curabis, vt tabellam Hymni tu ipſe perferas, ſed impetrata prius accedendi ad ſacras Virgines licentia. Tum alterum faſciculum cum exemplaribus & meis litteris Clariſſimo Forzonio noſtro dabis. Quicquid verò impenſæ in hanc rem facturus es, ego omnino diluam, neq; hac in re vnquam permiſſurus ſum, vt tua me vincat humanitas, cui me obnoxium fore & eſſe planè confiteor. Nomine meo chariſſimis Parentibus tuis, alijſq; ſanguinis propinquitate coniunctis officioſiſſimam ſalutem dices; meq; tui perquàm amantem, ac omnia rebus tuis proſpera & ſecunda cupientem, tu quoq; pari redamandi ſtudio proſequere. Vale.

Piſis ſexto calendas Octobris 1669.

Quæſo quamprimum aliquid, quid religioſiſ-

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO ADRIANIO SVO.

Lucam.

EO quo miſiſti die epiſtolam Caſſiani tabellario Romano dedi; duas tibi pro vna repono, alteram vt è gemmæ impreſſione cognoui Illuſtriſſimi Ilcij Archiepiſcopi noſtri Piſani, alteram quam Pettininij famulus ante paucos dies ad me pertulit tibi, vt herus exiſtimabat tutius mea opera perferendam. Cardinalis Bonuiſij valetudinem non eo quod timebatur diſcrimine verſatam fuiſſe ita gaudeo, ac vobis gratulor, vt penè nihil maius habeam, quod iſtis Ciuibus, ac vniuerſo Senatui gratuler; tota enim Italia, ac vniuerſa omnino Europa mirifico quodam amore Virum iſtum omni heroica virtute, ac Chriſtianæ in primis integritatis laude florentem proſequitur; & ego antè octo & decem iam annos conſtanti tacitæ venerationis obſequio ſemper colui. Si id res tuæ familiares ſinunt, malim omnino te ad Redium ad aquarum ſalubriũ balnea proficiſci, quàm id officij litteris teſtari; tuus enim iſthuc aduentus homini amantiſſimo tui non niſi gratus, atque etiã optatus accidet. Dum à Sereniſſima Magna Duce vacabit, cum homine clariſſimo & ſuauia & erudita colloquia inibis, ac certè de communibus Muſis iucundiſſimus ſermo oborietur. O & me fælicem ſi deflexo iſthuc ſermone aliquid de impreſſione noſtra Pati-

riſienſe intelligas, quod ad me ſtatim eius nuntij cupiditate flagrantem perſcribas! meam interim, ſi iturus es, ſalutem illi officioſiſſimam nuntia, nihilque earum rerum prętermitte, quæ ad ſuum mihi conciliandum amorem ſpectare cognoſces. Pecorinus, qui cum Stenonio ad Cymbros profectus fuit, prouinciam in hac Academia docendi obtinuit. Tilmannus adhuc ſilet. Tuos omnes amantiſſimè ſaluto. Me ama. Vale.

Piſis pridie nonas Septembris 1669.

Illuſtriſſimo, & Clariſſimo Viro
ALEXANDRO MARCHETTI
Philoſophiæ, ac Matheſeos Interpreti præſtãtiſs.

Emporium.

NOnis quintilis tuas cum nouò codice, ingenij inquam tui præſtantiſſimo fœtu, accepi; at ego tunc valetudine prohibitus cùm tibi ſcripto gratias habere non poſſim, iuſſi latorem hoc pro me officio defungi. An ille hoc præſtiterit valde ambigo, nam cum hominem rogaſſem, vt à reditu Labeonenſe me iterum, ſi quid ſcripturus eſſem inuiſeret, id omnino neglexit. Poſteà tu eas ſubmiſiſti litteras, quæ &ſi plenæ amoris, humanitatis, ac intimæ beneuolentiæ notis aſperſæ eſſent, ijs tamen & argumenti cauſa & meo quodam ingenuo

pu-

pudore retentus neſciui quid reſpondere. Rogas enim anxiè, & diligentiſſimè (& ob id ipſum te mirificè amo, ac toto penitus animo complector) an conualuerim? Sed qua fine? Vt tutò tua ad me dona perferantur. Certè ad modeſtiam & moderationē meam pertinere exiſtimaui, vt potius tantiſper inofficioſus, quàm ſpe muneris accipiendi acceleraſſe officium viderer; neque dubito Vir Clariſſime quin tu meum hoc conſilium omnino probaturus ſis. Tertias hodie breues quidem at elegantiſſimas ſummi amoris, ſummaque beneuolentis animi ſignificatione refertas, & omnino tales accepi, quibus & amantiſſimè ſimul & libétiſſimè reſpondeo, gratiaſque tuæ ſummæ humanitati habeo, quòd me pulcherrimo iſto de Mathematicis diſciplinis opere tuo honeſtare voluiſti. Si de valetudine mea quæris? ea vetere & priſca vtimur, ideſt incerta, vacillante, deſtillationibus, grauedini, ac pituitæ obnoxia. At quid lætum in hoc mortalis vitæ curriculo? Sunt bona miſta malis, ſunt mala miſta bonis. Tu me Clariſſime Marchetti huius æui decus tui ſeriò amantem ama: Vale.

Piſis quinto idus Septembris 1669.

Cla-

Clariſſimo Viro

ALOYSIO SVCCHERINIO.

Emporium.

IRaſcor ſubindè occupationibus meis, Clariſſime Aloyſi, non quòd eas libenter nõ admittam, ſed quòd hæ præcipuè id efficiãt, vt inuitus ſæpè ac nolens officijs amico rũ, quos interim ſanctiſſimè amo, ac tacitæ venerationis cultu obſeruo, ſatisfacere non poſſim. Scis opinor quò hæc oratio euaſura ſit? Sancte tibi, & Belgica ingenuitate affirmo hæc ipſa, quæ nunc tam ſerò obſequia ſcribendi perſoluo, me antè ſæpe ſtatuiſſe, vt ea quauis arrepta opportunitate perſoluerem; Sed neſcio quæ ſemper cauſæ ſint obortæ, quæ me a debiti officij munere retardarint. Modò ſe obiecit languor infirmæ valetudinis vitio contractus, modò graues, qui me quotidie circumſiſtunt labores, me & ſi tui maximè memorem, etiam quodammodo meditantem quæ litteris tuis elegantiſſimè exaratis reponerem, diſtraxere. Sed hæc nimia fortaſſe apud te, optime ac humaniſſime Aloyſi, qui pro tua eximia naturæ bonitate animum potius meum agnoſces, quàm ceſſationem officii culpabis. At mihi herclè cauſam non modicam erubeſcendi præbuiſti, qui me prior cultiſſimo tuarum obſequio præuenire voluiſti; amorem inſuper ſingulari, & candida elegantia erga me tuum oſtendis, nec ceſſas interim nomini quoq; meo laudes adiungere,

quas

quas & ſi agnoſcere non poſſum, tuum tamen affectum libens amplector, atq; mutua amandi neceſſitudine totum me tibi cum æternæ beneuolentiæ nexu coniungo. Auunculo tuo Viro Clariſſimo Nerio noſtro, tuoque Patrueli Hippolyto ſalutem officioſiſſimè nuntio; tibi omnia a Deo proſpera & ſecunda opto. Salue mi Aloyſi egregium nō vnius Apollinis decus, meq; tui diu tacitè, nunc palam, & ſcripto amantem ama. Vale.

Piſis quinto idus Septembris 1669.

Clariſſimo Patri
D. CYRILLO GRILL[illegible]NTI
Carmelitanæ Religionis in Hetruria Prouinciali

Florentiam.

CVm hac nuper Reuerendiſſimus Pater toti Carmelitanæ Religioni Præpoſitus Magiſter Generalis iter in Galliam haberet, bono meo fato obtigit, vt id, quod animo antè conceperam, eiuſdem quoquè religioſiſsmi Viri hortatu multo alacrius ac diligentius perficerem. Effare, inquis quid hoc rei eſt? de Diua veſtra Florentina loquimur, cui nunc in Apotheoſim relatæ, vt virium noſtrarum imbecillitas tulit, Hymnū, ſeu compendiarium totius pene vitæ elogium lucubrauimus, atq; id cùm ſæpè multiplice valetudinis moleſtia laborarem, & ſalutare ab ipſa inuocata Virgine auxilium ſen-

ſentirem, voui me cum omni demiſſione curaturum, vt in templo iſthic Sacrarũ Virginum, vbi Diuæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis corpus conquieſcit, in tabella deaurata appenderetur. Nunc verò cùm de tua mirifica humanitate in bonos omnes, & ſanctiſſima quadam in omnes Cœlites religione, doctrina verò eximia ac ſingulari, a primis Religionis tuæ hominibus cum ſummo meo gaudio perſæpè audiui, non niſi optima quæq; ſperare poſſim, auſus fui tuam hic mihi operam implorare, atq; vna precibus meis rogare, vt primo quoquè tempore Hymnus iſthic in Sacrarum Virginum Æde appendatur. Tum omnino tibi perſuadeas velim id ipſum quoq; officium non niſi gratiſſimum ipſi Reuerendiſſimo Patri poſſe accidere. Mitto præterea ſex Hymni exemplaria, vt iis tuo libitu, ſeu mittendis aliò, ſeu iſthic retinendis vtare. Scripſi itidem hac de re Italico ſermone Religioſiſſimæ Matri Priori. Tibi verò Clariſſime Grillanti egregium tuum Religionis Carmelitanæ ornamentum omnia bona a Deo voueo, augurorq; Vale.

Piſis decimo primo calendas Octobris 1669.

Illuſtriſs. ac Ampliſs. Viro
FERRANTI CAPPONI
Magni Ducis Hetruriæ Auditori.

Florentiam.

ANte paucos dies iuuenis quidam, facie & habitudine corporis in genua Georgius Flemingus ortus, vt ipſe ait, in Hibernia vltima Septentrionalis Oceani inſula, altus verò, & bonis, vt videtur, moribus educatus in Gallia hic Piſis ſeſe in fidem, ac conſectãdi obſequia Proantiſtis Nauarretti, contulit, cumq; egregia quædam in bonis artibus fundamenta ieciſſe videretur hortatu Nauarretti nonnulla latinis numeris, quæ ad laudem Sereniſſimi Coſmi Hetruriæ Principis pertinerent, tuæque in primis conſecranda Amplitudini putaret, diligenti certè ſtudio elucubrauit, addidſtq; ſoluta oratione, qua ſe tuæ propius beneuolentiæ inſinuaret epiſtolam perelegante cura exaratam. Bene inquis, ſed quò tua hæc euadet præfatio? noſti humaniſſime Procerum Hetruſcorum animum meum mollem, qui neſcit duram frontem honeſtiſſimis precibus aduenarum obiicere. Rogatus ab ipſo, vt hoc ſibi officio opitularer tibique, cui me nullo quidem merito meo, ſed ſola tuæ bonitatis indulgentia haud ingratum fore conſideret, commendandum ſuſciperem, hæc pauca exaro, quibus & ipſius iuuenis ingenium ad optimas diſciplinas planè deditum, & vt fert adoleſcentia, probè in latina litera-

teratura, ſeu ſoluta ſeu aſtricta oratione opus ſit, excultum pro iudicii mei tenuitate teſtarer. Addit ipſe de docenda iuuentute in equeſtri conuentu, ſiq; is locus adhuc concurſui pateret, ſequoq; ſi aud ri poſſit in ſummis votis id habiturum eſſe. Nil amplius addo, & meæ peto vt aut nimiæ confidentiæ aut temeritati pro tua eximia bonitate ignoſcas. Salue Clariſſimum Italiæ decus Ferrans Capponi, meq; tui patrocinij aura haud indignum deinceps puta. Vale.

Piſis decimo calendas Octobris 1669.

Clariſſimo Viro
PETRO ANDREÆ FORZONIO.

Florentiam.

PVdet me quaſi, & tamen neceſſe eſt, cũ aliter non poſſim, me eodem valetudinis vitio apud te purgare, cùm eadem infirmitas ſiuè languoris eſt, ſiuè, vt exiſtimo, cruditas huic omnino cælo perſamiliaris, ſiuè aliud latens corpuſculi vitium, quaſi quotidiana comes, ſeu ſtare, ſeu ſedere, aut inam bulare contingit, mihi ſemper adhæreat, & ſubinde omni veſcendi cupiditate ſpo liatum lectulo damnet, ipſiſq; Medicis nunc ſuccis acribus, nunc dulcibus, ſuſoq; cruore vexandum obijciat. Sed quid ego hæc? amoris in te mei, mutuæq; neceſſitudinis fides non ſinit me legitimi ſilentij cau-

ſas perſequi. Nuptiales verſus non me a…in te voluntas ſumma,ſed hercle inconſta us valetudo, tum obrepens ignauo animo ſterilitas adhuc differre coegit; idque mihi ſanctè a te credi perſuadeo, cui iamdiu intimos animi mei ſenſus patere volui. Diuę veſtræ Florentinæ exemplaria pro tua ſumma humanitate meo obſecro nomine Sereniſſimis Principibus,Aulæ Proceribus,aliiſq; vt tibi libuit præſtantibus Viris diſtribuenda ſuſcipe. Miſiſſem aliquanto citius;ſed cùm iſthuc votiuam cum Hymno tabellam ante hoc tempus mittere non licuerit, ipſa quoquè maturiora Aulæ obſequia inuitus prorogaui. Reditum noſtrum cum ſummo cultu amantiſſimè ſaluto. De Menagij fide planè deſpero, iam a decem & octo menſibus meis & ſi humaniſſimis litteris ſemel atque iterum quamvehementiſſimè rogatus nil reſpondit. At non accepit? de excuſſo, aut direpto tabellario omnes interim nuncij ſiluère. Quid cogitem? nolle. At id ipſum in votis eſt ſcire; tunc enim alterius ope mihi liceat vti; nunc verò animo ſuſpenſo atq; ambiguo hæremus. Sed hæc hactenus. Tu Clariſſime Forzoni me tui ex animo, ex toto corde,ſeriò & ſanctè amante tuo quoq; amore ac patrocinio,vt facis,libens proſequere. Vale.

Piſis ſeptimo calendas Octobris 1669.

Cla.

Ornato, & praſtanti Iuveni
IVLIANO ANTONIO DE PRINIS.

Pontem Cygni.

SEptimo calendas Octobris litteras tuas clara breuitate & perſpicua elegantia exaratas accepi; tuæq; diligentiæ tam exactæ, ac ſingulari tuo erga me amori, beneuolentiæ, atq; etiam vt ex tuis cognoſco, obſeruantiæ, gratias ſanè multas nunc habeo, referamq; etiam libentiſſimè, vbi ſeſe locus aliquis, quo de tua optima indole, probatiſque moribus, & præclara virtute benemereri poſſim, obtulerit. Nunc id vnũ pro tuo erga me ſtudio, & optima volũtate curabis, vt tabellam Hymni tu ipſe perferas, ſed impetrata prius accedendi ad ſacras Virgines licentia. Tum alterum faſciculum cum exemplaribus & meis litteris Clariſſimo Forzonio noſtro dabis. Quicquid verò impenſæ in hanc rem facturus es, ego omnino diluam, neq; hac in re vnquam permiſſurus ſum, vt tua me vincat humanitas, cui me obnoxium fore & eſſe planè confiteor. Nomine meo chariſſimis Parentibus tuis, alijſq; ſanguinis propinquitate coniunctis officioſiſſimam ſalutem dices; meq; tui peruàldè amantem, ac omnia rebus tuis proſpera & ſecunda cupientem, tu quoq; pari redamandi ſtudio proſequere. Vale.

Piſis ſexto calendas Octobris 1669.

Quæſo quamprimum aliquid, quid religioſ-

ſiſſima Mater Prior, quid ſacræ Virgines reſponderint, vt tabella, vt animi ſignificatio mei arriſerit, reſcribe, atq; nihil ea re te gratius mihi factu rum eſſe tibi velim perſuadeas. Iterum vale.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO LEGATO.

Bononiam.

ET valetudine, & raritate eorum, qui ad vos ſolent commeare prohibitus, hæc tam ſera ad te officia litterarum exoluo. Annus iam vertitur, quo tuas elegantiæ amoriſque in me tui pleniſſimas vna cum icone mea accepi, gratias modò tuæ egregiæ ac munificæ humanitati quò tardiores, eò certè maiores ago, ſperoq; fore, vt eas aliquãdo, ſi vita ſuppetet, copioſè relaturus ſim. Hymnos verò tres in meæ erga te beneuolentiæ amoriſquè eximij pignus tibi amantiſſimè mitto. Ab Angelico Aproſio humaniſſimas litteras cum ſuis operibus editis accepi; nil erudit onibus iſtis Italico ſermone conſcriptis ſuauius, lepidius, iucundiſue reperiri poteſt. In Veratro æquiſſima cenſura, ac elegantiſſimæ erudition s verbere vbique vapulat Stilianus. De meis verò Poematis omnibus Lutetiæ Pariſiorum recudẽdis, quam rem Redins noſter ope Menagij perficiendam ſuſceperat, valdè ambigo, me-

tuoque; nam a decem quaſi & octo mẽſibus ad binas meas literas nihil vnquam Menagius reſpondit, quod mirari ſatis nequeo, cùm Viro iſti clariſſimo Hymnos meos omnes nuncuparim. Red'us iterum ſcripſit, vt tandem aliquid certi eliciatur; Si id non contingit, aut Venetiis, aut Bononiæ editionem adornare conſtitui, tuoq; in primis patrocinio ac gratia vti. Sed hæc poſt dierum aliquot ſpatia viderimus. Clariſſmo Viro Ouidio Montalbano egregio iſtius Academiæ & totius Italiæ ſplendori, cum ſumma mea veneratione ſalutem officioſiſſimã nuntia, cuiſuos quoq; Hymnos in cultus mei amoriſq; teſtimonium meo nomine exhibeas velim. Salue Vir Clariſſime Laurenti, alterum poſt Vidam Cræmonæ & Italiæ decus. Me ama tui peramantem. Vale.

Piſis pridie calend. Octobris. 1669.

Clariſſimo Viro

LAVRENTIO ADRIANIO SVO.

Iucam.

CArmen, quo Sereniſſimæ Magnæ Duci Hetruriæ ſalubrium aquarum ope ſecundam in primis valetudinem, tum & longam vitæ ipſius prorogandæ annorum feriẽ augurarıs, cum ſumma voluptate animi, vt tua omnia ſoleo, perlegi, neq; aliud ad io, niſi numeros te ipſo, ideſt omni poſteritate

 di-

dignifſimos fore. Macte animo, & quo tuæ te virtus & fauentis Italiæ plauſus vocat, ſumma deinceps alacritate tibi contendendum eſſe omninò perſuade. Partem iſtius epiſtolæ Redianæ totam perlegi. Præter votum meum omnia, præter opinionem nulla acciderunt. Nos tamen inde, ſi diuino beneficio vita ſuppetet, explicabimus. Ad ſecundas tuas venio, quas non minus humanè, quam eleganter exaraſti. Clariſſimo Viro Stephano Nauarretto Proantiſtitis fratri nobile iſtud Poema tuum obſignata prius epiſtola tradidi. Oratiunculam ruſticanti Pacchetto mittendam curaui. Intra paucos dies Proantiſtes, qui rure Barghæo cum matre ruſticatur, Piſas expectatur, is familiaribus ſuis hominem hibernum latinis litteris eruditum, ſeu librarii, ſeu aſſeclæ nomine adſciuit, neſcio quæ in aduentum Sereniſſimi Coſmi, & laudes Ilcii Antiſtitis cecinerit? Vidi, & aduerſaria tibi legenda ſeruo. Tilmannus lyrica Poematia Gibbeſii ad me miſit typis Romanis deſcripta, ea quoquè, quo tu citius ad nos aduoles, ſtudioſè tuo aduentui conſeruo. Pettinuius de tuo ſilentio mecū expoſtulat. Omnes tuos, tum Finium, & Marium vetere mihi neceſſitudine coniūctos amātiſſimè ſaluto. De ſerico quoquè ob diſcrimen pretij iniri ratio non poteſt. hæc rogatu Riccii famuli tui adiunxi. Me tui peramantem, vt facis, ama. Vale.

Piſis idibus Octobris 1669.

Franſonius apud nos fuit. Obſequia & venerationem detuli, quid plura? iuuenili humanitate comiter accepit, indolem planè egregiam, & optimarum artium amantem penitus agnoui. Vtinam ora iſta ditiſſima Liguriæ plures ſimili æuo, opibus, ac nobilitate prçſtantes Iuuenes educaret! Iterum vale.

Illuſtriſſimo Domino

AMEDEO SAMINIATI.

Lucam.

SVb finem ſuperioris anni partim vt luctui meo priuato, quem in obitu Ferdinandi glorioſæ memoriæ Magni Hetruriæ Ducis grauiſſimum ſenſi, ſolatia aliqua compararem, partim quoquè vt Principis de me optimè meriti Manibus grati animi memoriam etiam poſt ipſos cineres palam teſtarer; hoc qualecumque funebre Poematium, rude id quidem & impolitum, quale ſolet a mœrore, ſi verus eſt, proficiſci, numeris meis exaraui, tibique in primis mittendũ cenſui, vt ſi meum tibi de editione conſiliũ probaretur, pro tua egregia erga me voluntate, & iam vetere neceſſitudine noſtra velis id Hyacintho Pacio edendum committere. Laurentius noſter ſuas quoquè ad ty-

re.

pographum litteras dedit, quibus numerus exemplarium, ipſa impreſſio in folium extendenda, & chartæ adhibendæ ratio continetur; ac ipſe poſt paucos dies iſtic Laurentius affuturus eſt. Si interim tuæ ſummę humanitati viſum eſt homini typographo præcipere, vt primi editionem folij ordiatur, erit ea res mihi multo gratiſſima; tua verò indulgentia vt ad totum hunc laborem abutar, a mea modeſtia impetrare non poſſum; Scio enim quantis nominibus Illuſtriſſimæ tuæ domui deuinctus viuam, quamq; id non me deceat, vt optimis, & humaniſſimis patronis nouis ſemper oneribus grauis ſim. Illuſtriſſimo fratri tuo Ioanni Baptiſtæ huius æui ob præſtantiſſimas animi ſui dotes egregio ornamento, ſalutem meis verbis officioſiſſimam nuntia; meque Clariſſime Samminiate exoriens quoque Hetruriæ aſtrum, quo ſoles amore ac patrocinio deinceps proſequere. Vale.

Piſis ſexto calendas Februarias 1671.

Clariſſimo Viro
IO: FRANCISCO ABERCROMBI
Ex Ord. S. Benedicti, in alma Academia Piſana Ordinario Philoſophiæ Lectori.

Florentiam.

VOluiſſem equidem multo citius, ſi per valetudinem aduerſam licuiſſet hoc ipſo

ipſo obſequio litterarum, quod nunc ſerum eſſe agnoſco, defungi; Sed quæ tua officioſa humanitas eſt, huic meo errori non meo libenter ignoſces. Id mihi in primis gratũ fuit, quòd in litteris tuis ſumma elegantia, ac mira quadã humanitatis tuæ ſignificatione exaratis vidit me non mediocriter abs te amari, nullo quidem merito meo, quia propriæ imbecillitatis meæ conſcius ſat noui nihil poſſe a me proficiſci, quod inſignes præſtanteſq; viros, omniq; diſciplinarum cognitione excellentes, quorum tu in numero ob egregiam doctrinæ tuæ laudem tibi iamdiu locum honorificentiſſimum comparaſti, poſſit ad me amandum allicere. Sed ea eſt naturæ tuæ bonitas, vt etiam eos tibi homines diligendos, in quibus iners tãtum cupiditas ad præclara ſtudia aſpirandi apparet, libenter ſuſcipias. Quod ego in me ipſo dum experior, non poſſum tuæ ſummæ erga me propenſioni, non ſummas cum ſingulari meo amore gratias habere. Quòd porrò nepotem meum Schondragium, cùm iſtic eſſet Florentiæ, non ſemel amantiſſimo obſequio inuiſiſti, tuamq; opem, ſi ea vti voluiſſet, ſuauiſſimo puero addixiſti, id eiuſmodi eſt, vt repta potius gratiam referre, quàm ulla ſignificatione verborum habere velim, quòd ſciam non ſimulati officij ſtudio id a te fieri, ſed candida & libera animi integritate non minus promitti, quàm præſtari etiam poſſe, ſi eius tibi rei occaſio daretur. Eas verò laudes, quas & tuo &

ami-

amicorum nomine in meas lucubrationes congeſſiſti, non agnoſco, amorem verò tuũ, a quo iſtę proficiſcuntur, toto penitus animo complector. Salutem, obſecro, officioſam meis verbis clariſſimo Viro Platio noſtro, quem non minus humanitas ac ſingularis doctrina, quàm ipſa, qua pręditus eſt, nobilitas Britannica, toti Italiæ amabilem reddit, amanter nuntia. Quod idem officiũ Kirtonio noſtro omnium Muſarum arbitro, mihiq; vetere neceſſitudine coniunctiſſimo Viro, ac cultiſſimo Magliabequio a te præſtari velim. Me ama tuo clariſſimo nomini ſummæq; laudi ſemper deditum. Vale.

Pariſiis nonis Octobris 1674.

Clariſſimo Viro

ANTONIO MARIÆ SALVINI.

Florentiam.

NÆ ego homo ſum inurbanus, qui iam multoties in officium peccaui, neq; duabus tuis, quas ad me amantiſſimè dediſti, litteris ſemel reſpondi; atq; his ſupremis paulo etiã ſerius reſpondendi obſequio defungor! dicam quod rei eſt, mi clariſſime Saluini. Amor in te meus ſingularis, quo te ſemper præſtantiſſimæ doctrinæ hominẽ, ſummęq; humanitatis virũ proſequutus fui, idem eſt, ſibiq; conſtans, taliſq; futurus quoad in rerum mortalium curriculo viuus de-

degam. At referendi obſequij cauſa ſcribendum fuit? fuit herclè, ſed valetudine minus proſpera vtebamur, cùm primæ tuæ litteræ mihi in ſummo æſtu redderentur. Secundis verò cùm iam reſponſio a me pararetur, te in aduerſam quoque valetudinem incidiſſe accepi. Quid facerem? nolui per id tempus valetudini tuæ infirmæ ſcriptionis meæ obſequio moleſtiam creare. Cauſam dilati officij vides; hanc obſecro mi ſuauiſſime ac humaniſſime Saluini pro vetere noſtra coniunctione, proq; tua eximia bonitate libens agnoſce. Elegos tuos, quos ad me venuſtiſſimis numeris exaratos miſiſti, ſumma cum mea voluptate multoties legi, ac relegi, mihiq; in illis viſus es eos Vates, qui aureo Octauiani æuo floruere, huic noſtro ſæculo ſimillima canendi fœlicitate, ſimiliumq; candore elegantiarum tamquam iterum viuos, ſpirareſque oſtendere. Vbi te verò ad ſolutæ orationis facundiam contuliſti, oſtendis profectò Tullianæ eloquentiæ laudem iſtic apud vos quammaximè florere, cuius herclè rei locupletiſſimos teſtes Forzonios, Auerranos, Rillioſq; cultiſſimæ doctrinæ facundiæq; viros, vt alios multo intermittam, habeo. Quòd verò lucubrationibus meis, quas tibi iſtuc dono miſi, laudes longè vberrimas adiungis; nil miror; ab amore enim tuo, & ſingulari erga me hominem tui amantiſſimum propēſione proficiſcuntur, quas etſi ut a iudicio tuo proficiſcentes agnoſcere nō poſſum, eas ta-

tamen táquam a tua voluntate mihi meiſq; conatibus deditiſſima profectas libens agnoſco, eoq; nomine tuæ eximiæ etiam humanitati gratias habeo. Me ama, qui tuæ laudi ac gloriæ ſum apprimè deditus. Communibus iſtic amicis plurimam a me ſalutē impertire, & de nepote meo Schondragio aliquid a clariſſimo Forzonio, quid de illo ſit, percunctare. Vale.

Piſis tertio decimo calendas Sextilis 1674.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google